

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

**E L E M E N T A
AD FONTIUM EDITIONES**

II

**“LIBER DISPARATA ANTIQUA CONTINENS,,
ALEXANDRO MASOVIENSI EPISCOPO TRIDENTINO
DICATUS**

PRAESENTAT DR. EDMUNDUS WINKLER



NON EXSTINGUETUR

ROMAE 1960

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

**E L E M E N T A
AD FONTIUM EDITIONES**

II

**“LIBER DISPARATA ANTIQUA CONTINENS,,
ALEXANDRO MASOVIENSI EPISCOPO TRIDENTINO
DICATUS**

PRAESENTAT DR. EDMUNDUS WINKLER



NON EXSTINGUETUR

ROMAE 1960

SUMPTIBUS
FUNDATIONIS
MEMORIAE
CAROLI DE BRZEZIE
LANCKOROŃSKI
DICATAE

EDIDIT:

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

VIA DEGLI SCIPIONI 284 - ROMA

VALERIANUS MEYSZTOWICZ, *Praeses*
IOSEPHUS WARSZAWSKI S. I.
CAROLINA LANCKOROŃSKA
WANDA DE ANDREIS WYHOWSKA
STANISLAUS JANIKOWSKI
LUCIANUS ŁUSZCZKI O.F.M.
IOANNES MISH

INDEX RERUM

Praefatio. Dr. Edmundus Winkler	p.	V
Adnotationes Curatorum Editionis	»	VIII
Textus libri	»	1
Regesta	»	141
Index nominum propriorum	»	177
Tabulae I - XIX	»	189

PRAEFATIO

PARENTIBUS

IOANNI ET MARIAE CZABAJSKA

dedicat

Edmundus Winkler

Complura tabularia germanica atque austriaca perscrutatus dum monumenta ad vitam Alexandri, ducis Masoviae, illustrandam reperire volui, saepe Tridentem veniebam, ubi ille antequam Vindobonam projectus esset, ut nepotem suum Fridericum III imperatorem ad causam concilii Basileensis persuaderet, munere episcopi fungebatur, scilicet ab a.D. 1423.

Perquirenti mihi omnia in archivo (tabulario) collegii canonicorum huius oppidi parvus quidam codex apparuit, quo melius cognito protinus intellegi libellum, qui exempla ad acta publica privataque componenda comprehendit ad tempora Alexandri pertinere ab eo ipso Tridentem portatum, ut sibi inexperto ac adulescenti paene episcopo usui esset.

Hic gratias quam maximas agere cupio Rev. Patri Higinio Rogger Historiae Ecclesiasticae Seminarii Superioris Tridentini magistro, qui mihi ad codicem inveniendum operam suam libentissime commodavit. Non minus gratias singulares persolvere debeo praefectibus tabulario ac bibliothecae Tridentinis, meis in qualibet difficultate adiutoribus assiduis.

DESCRIPTIO CODICIS

Codex largus 11 cm. altus 31 cm. tenero ac molli corio tectus est, extrinsecus castaneo intrinsecus flavo diluito; pars posterior huius te-

gumenti aliquantum maior tenus mediam partem priorem porrigitur, ut in tabula phototypica I, in fine huius voluminis, clare apparet. Parti maiori annexi duo funiculi obliqui, quibus codex claudebatur, conspiciuntur. Dorsum libelli duabus vittis corroboratus est iisque totidem malleoli pendent, scilicet funiculorum legandorum gratia.

Facies exterior corii vestigia litterarum exsculptarum habet. Ipsum igitur corium vetustius documentum fuerat, quo eraris litteris novus codex involutus est. Radiis ultravioleae armatus nonnullas litteras exsculptas facile legere potueris.

Codex, cuius charta lignea est, septem fasciculos continet, quorum duo priores sedecim folia, quattuor posteriores duodecim, ultimus autem vix duo semiscripta caeteris divulsis et superfluis habent. Item fasciculi priori unum folium antepositum est. Singulae chartae septem cingulis membraneis corroboratae sunt, quae si componerentur imaginem unius schedae darent. Haec scheda utraque ex parte scripta est in lingua latina, altera pars maiuscula gothica variae altitudinis altera autem cursiva gothica. Litterae « Hedw » cuidam cingulo inscriptae aetatem Hedvigis reginae indicare videntur.

Paginae codicis numeri ordine privatae priusquam edici possent, permissione custodis impetrata numeris arabicis notatae sunt, ab 1 ad 81.

DE AETATE CODICIS

Quisque paene fasciculus suum signum aquaticum habet, quod lingua gallica « filigrane » appellatur.

Priori (fol. 2, 4, 11, 13) circulus inest, linea directa cuius extremitates crucibus adornantur inaequaliter divisus; quod simile est signo Briquet¹⁾ nr. 3118, a.D. 1412 (Bavaria); foliis 2 et 13 signum idem sed aliquantum minus quod cum Briquet nr. 3117, a.D. 1408 comparari potest. Charta igitur annis 1408-1412 ascribenda est.

Signum alterius fasciculi (fol. 19, 26, 29, 31) caput cervi est cum duobus cornibus et linea interiecta, quam circulus in sex campos divisus claudit. Folio autem 29 caput cervi aliquantum largius cum duobus oculis est; hoc signum comparari potest cum Briquet nr. 15515, a.D. 1414 (Bavaria).

Tertii fasciculi (fol. 41, 42, 44) signum campana fere oblonga est, quod comparari potest cum Briquet nr. 3982, a.D. 1420-1423 (Utinum).

Quarto, quinto et sexto fasciculo (fol. 50, 58, 66, 76, 78) signum in forma tulipae inest, magnitudine simillimum ei quod Lichacev²⁾ a.D. 1409 notat.

(1) BRIQUET C. M., *Les filigranes, dictionnaire historique des marques du papier dès leur apparition vers 1282 jusqu'en 1600*, Paris, London... 1907.

Signum ultimi fasciculi est corona cum tribus floribus, quorum unus caeteris aliquantum altior: variae autem formae coronae notantur: a.D. 1409 (Herbipolis), a.D. 1412 (Turicum), a.D. 1419 (Vicentia).

Signa aquatica igitur aetatem inter annos 1408-1423 indicant; quorum omnium id solum certum est, quod annum 1409 ostendit et hic annus terminus post quem nostri codicis fit.

Litterae codicis cum litteris aliorum documentorum collatae spatium temporis inter primum et tertium decennium XV saeculi arguunt. Denique nonnulla documenta ipsi codici inserta data sunt inter annos 1401 et 1416. Possumus igitur conicere codicem post hoc tempus scriptum esse.

Scimus Alexandrum ad dignitatem episcopi Tridentini promossum a papa Martino Quinto 20 Octobris 1423, dioecesin administrare coepisse 26 Iunii 1424 die sancti Vigili. Codex autem, ut ex nuncupatione clare apparet, dedicatus est ei, episcopo iuuenili, qui patriam in omnem vitam relinquit.

Ex quibus effici cogique potest libellum inter 20 Octobris 1423 et 26 Iunii 1424 probabiliter anno 1424 ineunte compositum esse.

ARGUMENTA CODICIS

Codex in primis documenta et litteras publicas privatasque Wladislaw Jagello hucusque ignota continet. Prologus atque epilogus ex duabus orationibus constant, quarum altera Alexandro dedicata magnitudinem muneris episcopi exaltat, altera de vanitate mundi disserit. Foliis 71 v-74 r vetustissimum lexicon latino-polonicum, quod 530 fere vocabula comprehendit, insertum est.

Copias orationum, lexicon et imaginem phototypicam codicis in parte posteriore libri collocavimus.

Datum Romae in Nativitate s. Ioannis Baptistae, 1960.

DR. EDMUNDUS WINKLER

(2) LICHACEV N. P., *Paleograficeskoe znacenie bumaznich vodnitych znakov* St. Petersburg 1899, 3 vol.

ADNOTATIONES CURATORUM EDITIONIS

DE GENERE LIBRI

Quale igitur est genus ad quod liber noster pertinet? Primo visu esse videtur collectio transsumptionum privilegiorum et documentorum; plurimae similes in archivis existunt; in illis scriptores documenta ex archivis transsumebant ad utilitatem alicuius personae, praesertim iuridicae; tales sunt classici « Libri Privilegiorum ». Attamen nostra collectio documentorum non videtur ad determinatae personae utilitatem confecta esse; documenta in ea transcripta ad diversas omnino personas spectant; minima videtur scriptoris cura de eis, quae iuridicum valorem documenti constituunt: propria personarum et locorum nomina saepe vel omittuntur, vel non accuratae notantur, uti inferius dicitur. Multa etiam scripta in nostro codice inveniuntur, quae nullum valorem iuridicum habent (e.g. vocabularium, 160).

Nec pertinet codex noster ad « Formularia »; illa enim formulas continent, quae valorem exempli in arte epistolaria et diplomatica habent. In nostro codice multa sunt, quae minime istum valorem praebent: quia frequenter res, ad quas referuntur, omnino singulares sunt nec facile recurrere videntur (e.g. 34 et 35); vel quia sunt disquisitiones rethoricae et theoreticae, nullius vel remotae utilitatis pro scriptoribus (e.g. 212).

Videtur nobis liber noster ad genus speciale operum scriptorum assignandus, quod sub nomine « Silva rerum » venit. In libris huius generis « omnes res scibiles », potius curiositatis quam utilitatis causa, inscribebantur. Quod genus litterarium, abunde in Polonia posterioribus saeculis diffusum, hic exemplum anteceptum habere videtur. Certe non est exclusum « Silvam rerum » aliquando utilem esse etiam ad formulas ex ea excipiendas.

DE TITULO SEU INSCRIPTIONE

Hoc genus optime decet inscriptio, quae posterius in tegimine nostri voluminis ignota manu collocata est: « Liber disparata antiqua continens ». Quam inscriptionem uti titulum nostri libri servare statuimus.

DE DEDICATIONE

In primo folio voluminis nostri dedicatio invenitur in lingua, quae nobis Polonica videtur: « Reverendo Alexandro, comiti magno ». Ex eadem dedicatione patet hunc Alexandrum principem Ecclesiae fuisse; nullus, nisi Alexander e ducibus Masoviae, de regia stirpe Piast, fuit Polonus

natione inter episcopos Tridentinos saeculi XV. Hic Alexander filius fuit Semoviti, ducis Masoviae (ob. 1426), et Alexandrae, filiae Olgierdi magni ducis Lithuaniae, sororis Wladislai Jagellonis regis Poloniae et supremi principis Lithuaniae (ob. 1434). Soror Alexandri, Cimburgis de Masovia, uxor fuit Ernesti Ferrei, ducis Austriae. Ipse Alexander natus est circa a. 1395; canonicatum Gnesnensem habuit annis 1414-1429. Anno 1422 rectoratum Universitatis Jagellonicae Cracoviae tenuit. Episcopus Tridentinus creatus est anno 1424; anticardinalis (ex promotione antipapae Felicis V) a. 1439 fuit tituli Sancti Laurentii in Damaso et eodem anno etiam patriarcha Aquileiae. Parochiam S. Stephani Vindobonae tenuit 2.II.1443, ibique obiit 2.VI.1444 (cf. Balzer, Genealogia Piastów).

Ut ex datis, quae in libro ipso inveniuntur, sat clare apparet, Alexander manuscriptum nostrum e Polonia ad sedem suam episcopalem Tridentinam secum tulit; liber Tridenti in archivio capituli ad nostra usque tempora exstat, ibique, ut ex inscriptione in involucro facta patet, sub N. 114 collocatur.

DE LOCO ORIGINIS

Adsunt in libro partes in lingua Polonica scriptae, quae Polonicam originem libri indicant; de eadem origine testatur etiam latinitas « Polonica », de qua infra dicitur; eandem originem confirmant documenta maxima ex parte a Polonis, a Wladislao II, ab eius uxore Anna, ab episcopis Cracoviensibus, ab aliisque Polonis scripta; maxima pars negotiorum, ad quae referuntur documenta libri, ad res Polonicas spectat; moneta « Polonica » saepius in libro citatur. Immo paene certum apparet librum Cracoviae scriptum esse; quae vero civitas quam saepissime in documentis, in libro contentis nominatur, simul cum locis vicinis, uti Sandomiria, Sandecia Nova et Antiqua, ceterisque.

DE LINGUA

Liber noster maxima ex parte lingua latina conscriptus est. Quamvis non unus sit in eo auctor, notandum est latinitatem multorum vestigia ferre illius « latinitatis Polonicae », quae medio aevo simul cum latinitate Gallica, Hispanica, Germanica existerat. Latinitatem hanc Polonicam esse ex multis signis dignoscimus. Hoc iam ex loco, ubi liber scriptus est, ex dedicatione et ex partibus Polonicis in eo existentibus, deduci potest. Ad quam deductionem confirmandam nonnulla signa, in ipso libro existentia, adiunguntur.

a) In propositionibus construendis libertas notatur, qua subiectum, praedicatum et complementum ponuntur ordine quasi arbitrario; quod proprium est scriptorum, quibus usus declinationum ex lingua propria consuetus est.

b) *Frequens est usus adverbiorum, quae quasi ad libitum formantur ex omnibus fere adiectivis: e.g. « vicarie » (pro: « per modum vicarii »), 237; « iuridice » (pro « modo iuridico »), 244; « hereditarie » (pro « per modum hereditariae successionis »), 246.*

c) *Indicativus modus pro coniunctivo saepe ponitur (e.g. « adiuvat » pro « adiuvet »), 247.*

d) *Nomina propria in forma diminutiva Polonica recurrunt, e.g. « Nastka » pro Anastasia; « Femcia » pro Eufemia, 240.*

e) *Inter Polonica verba ponendae sunt etiam voces vix « latinisatae »: « deca » pro « tegumentum quo mulus tegitur », 38; « gaius » pro « lucus », 256; « granicies » pro « limes », 56, 100, 240, etc.; « kmeto » pro « rusticus », 217; « rozwedzenie » i.e. divortium, 208; etc., « laneus » mensura terrae, 217; « corus » (korzec) mensura tritici, 226; forsitan etiam « holius » (holysz, holota), 149; certe « zastawni » pro « obstagialis », 266.*

f) *Item Polonicum modum loquendi sapit forma « met sextus », 275, qua probabiliter significatur « ipse cum quinque aliis » (« samoszóst » in lingua Polonica antiqua); nec non locutiones « de Dei gracia », « Domini de gracia », 138, 152, etc.*

Adest in libro vocabularium « Latino-Polonum », 260; adsunt quoque praefatio et epilogus, lingua Slavica scripti, quam alii Polonicam, alii vero Bohemicam esse putant (1, 281). Quam ultimam opinionem etiam Cl. mus Prof. Ioannes Maver sequitur. Disputationem philologis propriam, eis relinquimus; certum est tamen scriptorem Cracoviensem hac lingua scripsisse.

DE AUCTORE

Liber noster est collectio diversorum scriptorum; unum auctorem nonnisi sensu specifico habet: singularum paragraphorum diversi sunt enim auctores, quorum scripta transsumpta sunt a quodam compositore; ab eo provenire videntur dedicatio, vocabularium, epilogus (1, 260, 281), forsitan etiam disquisitiones philosophicae (211, 212) et tabella formularum (214); non est exclusum quasdam epistolarum fictas esse, et ab ipso compositas. Maximam partem libri constituunt apographa; ita, ut auctor, seu ille qui ea collegit, « compositor », « collector », vel potius verbo recentiore « redactor » vocari debeat.

Quis igitur fuit « auctor » vel potius « redactor » nostri manuscripti? Cum ex loco, ubi liber conscriptus est, tum ex lingua Polonica nec non ex Polonica latinitate documentorum, facile colligitur eum inter Polonos quaerendum esse. Nonnulla documenta, ex cancellaria Regis Wladislai II eiusque uxoris reginae Annae proveniunt: inde auctorem ad eandem cancellariam pertinere, vel saltem facilem accessum habuisse affirmari potest. Iam diximus librum Cracoviae conscriptum esse: ergo ibidem, saltem ad tempus, auctorem habitasse apparet. Multa documenta ad res

scholasticas pertinent: ex quibus facile ipse Alexander Masoviensis, olim Universitatis Cracoviensis rector, pro auctore haberi possit. Sed talis illatio nobis reicienda apparet, quia liber eidem Alexandro dedicatus est.

Altera etiam hypothesis proponebatur: saepe in libro citatus Nicolaus de Boleslavia possit auctor libri esse. Talis nominis monachus OSB, episcopus titularis, auxiliarius Wratislaviensis ab 1398 ad 1416 notus est historicis (Eubel, I, 555); sed ipse a. 1416 obiisse videtur; et insuper, in libro nostro aliquando sub nomine « de Boleslavia » (9, 37, 45), aliquando etiam uti « Nicolaus de Boleslawiec » apparet (e.g. 16, 59). Haud est probabile auctorem libri nomen suum aliter et aliter scripsisse.

Ergo Polonus, ignotus, cancellariae regiae, curiae episcopalis et academiae familiaris, qui anno 1424 et proximis annis praecedentibus Cracoviae habitabat, est libri auctor sensu a nobis superius indicato. Proximam eius identificationem felicioribus investigatoribus relinquendam censemus.

DE SCRIPTORE ET SCRIPTURA

Scriptura totius libri sino ullo dubio est gothica saeculi XV; non unicus autem fuit huius libri scriptor. Primus est scriptor rerum Polonicarum, de cuius manu praefatio (1), vocabularium (260) et epilogus (281) libri nostri proveniunt. (Vide tabulas in fine huius voluminis). Nec est dubium eadem manu scripta fuisse caetera folia voluminis, usque ad 40 inclusive; 50 lineae in omni folio regulariter signantur, super quas currit scriptura, quae versus sinistram partem inclinatur; paragraphorum litterae initiales exornatae sunt et plusquam triplicem altitudinem maiuscularum, quae sunt in texto, attingunt. Mutatio quaedam scripturae apparere videtur a folio 40: desunt iam ornamenta initialium, scriptura ipsa diminuta est, ita ut, primo visu, non possit excludi eam ab alio scriptore provenire; sed attentius rem perspicientes hypothesim, secundum quam alter scriptor a p. 40 in libro nostro scripsisset, reiciendam esse censemus; diminutio scripturae ex oeconomia loci provenire potest; revera, loco 50 linearum, 70 lineae in pagina regulariter scribuntur; cura scriptoris diminuitur, scriptura fit magis cursiva. Inclinatio versus sinistram partem praevalenter manet, etsi aliquando vacillare videtur calamus; vix tamen apparet diversitas in forma litterarum; et — quod plus est — modus scribendi, i.e. orthographia, signa omissionum, etc., idem totum per volumen manere videntur. Proinde ratio sufficiens ad distinguendum inter scriptorem primae et secundae partis libri non datur.

Non totum tamen volumen unius est scriptoris: in folio 65 (verso) media pagina omnino differenti modo a ceteris libri partibus conscripta est (231 et 232).

Pro cetero, liber totus unica manu scriptus esse videtur.

Scriptura gothica libri nostri, quae nec in primis foliis libri curata est, post folium 40 cum minima cura artis caligraphicae et claritatis ve-

locissime currit. Regularitas in verbis contrahendis, in signis omissionum et contractionum, iam in prima parte manuscripti sat dispar, post paginam 40 adhuc minuitur. Ita, e.g., littera « i », aliquando fert punctum diacriticum, aliquando eo caret, et tunc vix a littera « e », quae saepius sine linea superiore scribitur, distingui potest. Litterae « C », « T » et etiam « c », « t », « e » tam indistincte scribuntur, ut nonnisi per contextum distingui possint, et ubi contextus auxilium deficit — sicut accidit in litteris initialibus nominum propriorum — invicem penitus non distinguuntur; etiam peritissimi in paleographia studiosi discordant an in casu scriptor noster « C » vel « T » scribere voluit. Idem saepius de litteris « b » et « v » potest affirmari. Littera « s » in forma longa et brevi (in fine verborum) apparet. Verba autem invicem sat distincte separantur. Signa omissionis in principio verborum (pro « con », « cum ») et in fine eorum (pro us, es, is, ibus, etiam um, rum, erum, arum), nec non signa cum littera « p » coniuncta (« per », « pre », « pro ») saepe alterum pro altero ponuntur. Interpunctio, ubi adest, est omnino irregularis.

Nunquam satis est insistendum scriptorem nostrum minime accuratum fuisse, ita ut de negligentia, immo etiam incuria accusari merito possit. Datas temporum saepe confundit: e.g. dies « ab anno 1412 » « ad annum 1409 » computat (10); gregem sive 400, sive eodem loco 406 bubus numerat (14); nomina fere ad libitum transcribit, ita ut eadem persona in eodem paragrapho aliter et aliter vocetur: e.g. Nicolaus de Galamino fit Nicolaus de B. (13); neque in actis processualibus reus ab actore distingui potest (185, 240); eadem ecclesia in eodem documento est « sancti Floriani » et tum « sancti Nicolai » (24); « civitas C » vel « T » fit « civitas B » (80); « nos » et « vos », « nobis » et « vobis » invertuntur; idem de titulis evenit, ut si quis in exordio litterarum « paternitas » appelletur, in sequentibus lineis « fraternitas » vocetur (43). Aliquando nomina personarum optime notarum inopinanter mutantur: Alexander Witoldus fit « Andreas » (64); vel etiam nomina manifeste inexistencia ponuntur, uti « Iacobus episcopus Cracoviensis » (208).

Quod vero sufficit ad demonstrandum scriptorem potius indifferentem fuisse ad facta historica vel iuridica definienda, maioremque ei curam fuisse de exemplis formae et stili, quam de veris nominibus, temporibus et locis; immo aliquando videntur vera nomina ex proposito occultare, quae occultatio saepius in formulariis apparet. Exinde quam plurimae sunt in libro res vel claritate carentes vel obscurae, quod interdum ex deliberato proposito scriptoris, saepius vero ex negligentia incuriae provenit. Ex eadem negligentia provenire videtur duplex apographum documenti fere identici (251 et 267).

Innumerabilium casuum huius obscuritatis nonnulla tantum hic notavimus exempla. Neminem latet, quot quantasque difficultates in textu determinando talis obscuritas editoribus procuraverit. Quorum difficultatem vestigia in notis, quas ad singulas paragraphos scripsimus, lector conspicere poterit.

Numeri in libro regulariter modo Romano scribuntur, e.g. LXII, vel plenius litteris « sexaginta duo ». Non desunt tamen aliquando et numeri arabici (e.g. 271, 272).

DE TRANSCRIPTIONE TEXTUS

In trascriptione textus manuscripti atque in eiusdem typis editione pro posse secuti sumus Instructionem Academiae Litterarum Polonicae (Instrukcja Wydawnicza, Cracoviae 1930).

Litteras indistincte scriptas, signa quoque omissionum vel contractionum pro posse solvimus; in qua solutione contextum prae oculis habuimus. Ubi autem, contextu deficiente, certa lectio impossibilis est visa in commentario de alia possibili lectione lectorem monemus. Ubi pro solo nomine littera maiuscula « C » apparet, quae etiam pro « T » legi potest, de utroque modo legendi notas fecimus; nullam hic habuimus possibilitatem dubium solvendi, nisi per historicam investigationem; (e.g. « J. de C. palatinus Crac. » potest Ioannes de Tarnów esse, aut Ioannes de Kurozweki); sed investigationes historicas aliis relinquimus.

In manuscripto littera « F » saepius repetita invenitur in forma « Ff » aut « ff », quod praesertim in initialibus nominum occurrit. Quam duplicationem, ubi in manuscripto invenitur, etiam in typis reproduximus (aliter proponit A. Wolff, « Projekt instrukcji wydawniczej » in Commentationes, Studia Zródłoznawcze, I, Warsawa 1957, p. 162, 26a). Ubi scriptor « j » vel « y » habet, eandem litteram in typis reproduximus. Item de litteris « v » et « u » fecimus.

Signa omissionis as, os, es, is, ibus, um, rum, arum, orum, (p)ro, (p)re, (p)er, etc. ubi ex ipsa forma signi nihil rationabile deducere potuimus, quantum fieri potuit ex contextu solvimus.

Orthographiam scriptoris pro posse secuti sumus, e.g. « origens » pro « oriens », « regi » pro « rei », « rugina » pro « ruina » (94, 251, 256); « quoram » pro « coram » (254), « suphicienti » pro « sufficienti » (256), « affective » multoties pro « effective », et in aliis huiusmodi verbis intactam relinquimus etiam insolitam orthographiam, dummodo sensus inalteratus remaneat.

Nomina propria personarum, quaecumque sit eorum origo, (Jogaila, Vytautas, Władysław, Ziemowit) in forma, quae eis est propria in lingua latina, in registis nostris scripsimus; in textibus autem originalem repetimus orthographiam.

Interpunctionem nostris temporibus adhibitam ad sensum melius intelligendum in textum introduximus. In exordiis epistolarum, quae propositiones integras non formant, singulas exordii partes puncto dividimus, i.e.: 1) praesentationem auctoris, in nominativo (Ioannes Dei gratia episcopus talis); 2) indicationem personae ad quam scribitur, in dativo (rectori ecclesiae in R.; vel: universis); 3) salutationem in accusativo (salutem in Domino; 4) invocationem in vocativo (Magnifice domine,

nimis nobis dilecte). *Item, in fine documenti, puncto separantur modalitates: Exceptis de iure excipiendis. Vel: Praesentibus ad annum valituris. Item puncto dividuntur datae scripturae: (e.g. Cracoviae, die sancti Michaelis MCCCCXXIII.). Duplex punctus (:) ponitur a nobis in principio enumerationum, et etiam ubi finem habet introductio ad dispositionem et incipit ipsa dispositio (e.g. mandamus: quatenus ad nostram venies praesentiam). Virgulas (,) posuimus ad singulas partes enumerationis distinguendas: «Palatinos, castellanos, capitaneos, scultetos, et alios monemus»); ad propositiones secundarias a propositione principali separandas; in ceteris etiam casibus, ubi virgula ad textum elucidandum utilis nobis apparuit.*

« *Instructionem* » *Academiae Polonicae sequentes, ubi verba (vel verborum partes) in textu deficientia propriis litteris vel verbis complevimus, partes adiunctas inter parentheses rotundas inclusimus. E.g. P(etrus). Quae regula pro manuscriptis mediæ aevi, in quibus nullae sunt scriptoris parentheses, optime servari potest; neque opus est ad parentheses quadratas recurrere.*

In maiusculis scribendis regulas supralaudatae Academiae secuti sumus.

Ubi, ob manifestos errores scriptorum nullus sensus colligi poterat, et natura erroris non sine dubio apparebat, correctionem uti incertam dedimus; ubi error manifestus esse videbatur, sed impossibile apparebat eius naturam determinare et etiam, ubi error tam manifestus et clarus erat, ut nulla correctio utilis videretur, scripsimus in nota: « sic in ms. ».

Manent nihilominus in nostra transcriptione loci, quorum sensus, ob scriptoris errores et omissiones, semper obscurus et incertus apparet, quos locos in notis indicavimus. Ubi aliqua vox ob errorem scriptoris in manuscripto omissa apparet, vel bis repetitur, hoc in nota signavimus; (exceptis tamen regularibus repetitionibus, quae in fine praecedentis et in principio sequentis paginae fiunt).

Liber sat clare in paragrapha seu singula documenta et notas divisus est. In capite uniuscuiusque paragraphi posuimus regesta in quibus significabimus locum, diem, auctorem, illum ad quem, et rem de qua scribebatur. Regesta nostra litteris rotundis (cursivis) scripta ab inscriptionibus, quas scriptor unicuique fere paragrapho anteposuit, et quas e manuscripto litteris quadris transsumpsimus, distinguuntur. Hac inscriptiones originales scriptoris aliquando sensum paragraphi false explicant; saepius etiam nil ad textum intelligendum conferunt, vel omnino obscura manent (e.g. 264). Datas loci et temporis documenti nonnisi illas notavimus, quae in textu clare indicantur; quasvis inquisitiones historicas de loco et tempore documenti, etiam ex textu patentes, sed non verbatim expressas, omittentes. Scripsimus ergo « Cracoviae, die s. Michaelis anni 1423 », uti in textu invenimus. Vel « Feria sexta post festum s. Petri anni 1405 ».

Partes Polonicas libri nostri — 1, 160, 281 — non transcripsimus, sed lectori in fine huius voluminis arte photographica reproductas, praesentamus. Critica eorum paragraphorum editio, a Doctore Edmundo Winkler praeparata, proxime in ephemeridibus « Ricerche Slavistiche » sub moderamine Prof. Ioannis Maver, apparebit.

DE COMMENTARIIS

Regulam seriei nostrae sequentes, commentaria historica et geographica omisimus (Vide praeformatio ad Elementa ad Fontium Editiones Vol. I). Nec investigationes instituumus ad inveniendum, num nostrarum paragraphorum textus iam aliunde sit notus. Ita, e.g. noster N. 100 textum, etsi non identicum, habet ei, qui nobis aliunde (Lites et res gesta inter Polonos ordinemque Cruciferorum T. II., Posnaniae, 1892, N. 11, p. 42) iam notus erat; de qua re, et de similibus, nullam in commentariis fecimus mentionem.

DE PERSONIS

Magnus est numerus personarum, quae diversa libri paragrapha composuerunt, maior quoque illarum, ad quas referuntur.

Wladislaus Jagello, huius nominis rex Poloniae secundus et Lithuaniae princeps supremus est multarum epistolarum auctor; non modo privilegia et sententiae, sed etiam acta diplomatica huius regis — cuius tabularium interiit — hic inveniuntur. Adsunt quoque scripta reginae, Annae Cilenae, eiusdem regis secundae uxoris (e.g. 2, 3, 58). Saepius nominatur cognatus regis, magnus dux Lithuaniae, Witoldus, christiano nomine Alexander dictus (i.a. 56, 64, 67); cuius laudantur res gestae in terris trans Borysthenem, tempore quo adhuc incertae erant Moscoviae sortes neque spes exstincta eam e potestate Tartarica eripi, ipsamque ad unionem cum caeteris rebus publicis christianis adduci (39, 44, 64, 66). Saepe nominatur Sigismundus Luxemburgensis, Rex Romanorum, Wladislai II affinis, pro cuius liberatione a captivitate, in qua a propriis subditis detinebatur, Wladislaus intercedebat. Pontifices Romani (Martinus V) et antipapae huius temporis; patres Consilii Constantiniensis, ad quos regina Anna scribebat, prae oculis nostris veniunt; magistri et milites Ordinis Teutonici Cruciferorum, episcopi, praesertim Cracovienses, Petrus Wysz de Radolino, Albertus Jastrzębiec, alique Poloniae antistites; dignitarii saeculares palatini, castellani, capitanei, camerarii et subcamerarii, saepe solis initialibus designantur; quorum tamen identitatem definiendam ab officii editorum alienam esse putavimus, etiam ubi haec nobis facilis et indubia apparebat (e.g. Cristini de Ostrów, palatini Cracoviensis, 257).

Mira et proprie stupenda est varietas rerum et institutionum, de quibus in libro nostro agitur.

De Clero multa sunt in libro vestigia. Archiepiscopus Gnesnensis, uti summus in rebus ecclesiasticis totius Poloniae monitor agit (222, 3). Episcopi beneficia distribuunt, vel ea confirmant, rationem habent iuris patronatus nobilium, nobilibus privilegia concedunt (137) super rato et non consummato matrimonio dispensant (203). Archidiaconi ecclesias visitant (158). Nominantur « inquisitores haereticae pravitatis » (19). Clerici beneficia obtinent, accedente voluntate episcopi permutant. Nec culpae absconduntur eorum et crimina: mercatura sacramentorum (222), concubinatus (158).

De iuribus et rebus nobilium qui « heredes » et « milites » vocantur, multa inveniuntur, praesertim de bonis eorum immobilibus ubi clare « bona hereditaria » a tam paucis in Polonia « bonis feudatariis » distinguuntur (e.g. 280, 210, 213), (« ius hereditarium » et « ius feudale »); acquisitio bonorum, venditio, oppignoratio, transmissio ad heredes in variis documentis apparent. Privilegia nobilium in rebus ecclesiasticis — ut ius patronatus (137) et specialis concessio altaris portatilis notantur (173, 174). De bellis, de repulsione hostium regiones regni invadentium, de iustitia administranda a rege et suis officialibus, a iudicibus et camerariis, subiudicibus et subcamerariis, de evoluto iure processuali et de diversis specialibus citationum partium in civilibus (272) et criminalibus (271) de peculiari figura citationis conditionalis (273) edocetur lector. De administratione terrarum et castrorum a palatinis, castellanis et capitaneis et burgraviis facta; de singulari distinctione, muneris « palatini » a munere « voyevodae », quae in subiectione « voyevodae Premisliensis » palatino Cracoviensi apparet (183) docet liber. De omnino singulari institutione iuridica, aliunde iam nota « subcamerarii reginalis », qui officium speciale « pepli reginae » in defensione mulierum, etiam rusticarum, ab iniuriis illis illatis exercet (170); de moratorio pro eis, qui sunt in captivitate Tartarica (5), inveniuntur vestigia in libro. De rebus autem, quibus nobiles delectabantur: de conventibus eorum ratione nuptiarum et baptismatum, de « hastiludiis », alibi « torneamenta » vocatis (170, 232); de equis (172, 73); de falconibus (48, 70), de canibus (38) et de venatione canina, cuius ratione ipse rex cum nobili Ligeza, qui se canes, meliores quam ipse rex, habere iactabatur, libere voluit contendere, narrant transscripta in libro documenta. Apparent quoque in libro milites conducti, eorumque capitanei et ductores (163, 4, 5, 6, 7). Nec tacet liber de criminibus nobilium, uti de illo milite praedone, a civibus alicuius civitatis capto (253).

Etiam de civibus urbium — de advocatis, burgraviis, scabinis, de mercatoribus eorumque privilegiis multa in libro inveniuntur scripta; item de « iure Magdeburgensi » et de specialibus privilegiis civitatum.

Rusticorum etiam — qui saepe « kmetones » vocantur — res et negotia in libro relata sunt; est rusticus, qui persecutionem fugiens man-

sionem securam quaerit (130); est alius, qui semina ad seminandum in praestitum rogat (226). Videmus rusticos iure in iudiciis stantes, et protectione iuris gaudentes.

Scholarum discipuli eorumque vita et negotia multoties in libro memorantur; quod forsitan quodam modo componitur cum illo rectoratu Universitatis Iagellonicae, quem Alexander Masoviensis, prius quam episcopus Tridentinus fieret, exercuit.

LIBRI VALOR

Pluralitate igitur personarum, negotiorum descriptorum copia, rerum variarum divitia, liber noster a «Formulariis» eius temporis plene distinguitur, et inter exempla «Silvarum rerum» facile collocatur. Reflectitur in eo imago totius vitae saeculi in Polonia, ubi institutiones legales et sociales multum evolutae et provectae apparent. Apparet quoque illa urbanitas, immo si ita dicere licet, illa curialitas relationum inter singulos cives. Lector de illo modo vivendi et agendi ex libro nostro edoctus facile intellet quare nationes, quae inter civilem christianamque Poloniam ex altera parte, et barbariam Tartarorum ex altera positae erant, foedus cum Regno Poloniae inierint.

Cl.mae Ioannae Biniami-Odier, quae prima textum perlegit, et etiam Cl.mae Clarae Mungari, Primae Archivariae Status Italici, pro revisione textus gratiae debentur, uti etiam Cl.mae Sophiae Hoffer. Errores multos correximus. Attamen non est dubium quin alii multi curam nostram effugerunt. Quorum culpa nemini, nisi antiquo scriptori et nobis, qui eius scriptum typis mandamus, attribuenda est.

Editionum Curatores:

CAROLINA LANCKOROŃSKA

VALERIANUS MEYSZTOWICZ

TEXTUS LIBRI

N. 1

s.l., s.d.

Ignotus

*ad Alexandrum (e ducibus Masoviae) episcopum (Tridentinum);
allocutio*

Vide textum in tabulis II-V in fine huius voluminis

F. 1 r.

F. 1 v.

N. 2

Cracoviae, die s. Thomae de Aquino 1412

Anna regina Poloniae

universis;

de procuratore in negotiis a Iohanne de Maloszów constituto

F. 2 r. Procuracio.

Anna, Dei gracia regina Polonie etc. Significamus quibus expedit uniuersis, quod Iohannes de Maloszow aliis intentus negociis terminos judiciales nequit personaliter attemptare, unde gracia mea ^{a)} ad id specialiter accedente ^{b)} fecit, constituit et prout melius potuit, ordinavit suum verum et legitimum procuratorem, actorem factorum et negociarum suorum gestorum hunc videlicet, qui presens procuratorium exhibuerit, demonstrandum in omnibus suis causis, quas habet uel habiturus est. Coram quocumque iudice seu quibuscumque iudicibus regni nostri dans et concedens dictus constituens, predicto suo procuratori plenum mandatum et omnimodam potestatem agendi, defendendi, tuendi, gubernandi, regendi et alia omnia et singula faciendi, que ipsemet constituens faceret uel facere posset, si huiusmodi terminis personaliter interesset. Promittens ratum, gratum atque firmum perpetuo tenere et inuolabiliter obseruare, quitquid per dictum procuratorem cuius actum, factum et ordinatum fuerit in premissis. Datum Cracouie, feria secunda, in die sancti Thome de Aquino, anno Domini millesimo quadringentesimo duodecimo, presentibus ad unius anni decursum terminum valituum etc. et sic est procuratorium in forma ^{c)}.

a) lectio incerta: « nostra »?

b) in ms. « acceden. ».

c) in margine dextro: « RX » = registratum.

Cracoviae, die s. Thomae de Aquino 1412

(Anna) regina (Poloniae)

iudicibus et officialibus terrae Cracoviae;

de dilatione causarum Iacobi de Baranów ad Sigismundum regem Hungariae missi

F. 2 r. Sequitur dilacio.

Fidelibus nostris dilectis; iudici, subjudici, camerariis ceterisque officialibus iudiciorum terre nostre Cracouie, presidentibus presentibus requirendis. Graciam reginalem et omne bonum. Fideles nostri dilecti, quia Iacobus de Baranow

F. 2 v. familiaris noster fidelis dilectus nostris seruiciis prepeditus et signanter nobiscum ad conuencionem proxime celebrandam cum serenissimo principe domino Sigismundo rege Hungarie profecturus, terminos iudiciales seu colloquia generalia nequit ista uice attemptare nec ipsis quouismodo interesse, unde uobis precipimus et mandamus, quatenus omnes terminos, quos idem Iacobus Baranowskij coram uobis optinet uel habiturus existit etiam cum quacumque persona, differre et prorogare debeatis tamdiu, quousque de conuencione predicta feliciter reuenientes pro hac uice Cracouiam ingressum faciemus personalem, efficientes, ne predictus Iacobus ratione sue absencie aliquod detrimentum paciatur uel grauamen. Datum Cracouie, ipso die sancti Thome de Aquino, anno Domini M^o CCCC^o duodecimo.

s.l., s.d.

(Wladislaus II rex Poloniae)

iudici et subiudici;

Annae de Bawchów dilationem causarum concedit

F. 2 v. Quod non iudicetur in minoribus terminis usque in generalibus colloquiis iudicis.

Judici, subiudici. Quia nobilis Anna de Bawchow relicta olim nobilis Andree de Bijszagii, propter uiduitatem suam pluribus intenta negociis, terminos iudiciales minores non potest ^{a)} continuo attemptare, unde uiduitati sue pio compacientes affectu sibi hanc graciam concessimus et concedimus per presentes, quod in terminis minoribus antequam respondere quamuis citata fuerit, non debeat ad obiecta respondere, in terminis siue in colloquiis generalibus aut coram nostre celsitudinis presentiam omnibus de se querulantibus et ad queuis obicienda sit astricta. Quocirca uobis et cuilibet

F. 3 r. vestrum mandamus districtius precipientes, quatenus prefatam Annam relictam, in minoribus terminis huiusmodi cum quibuscumque personis et pro quibusuis causis suis scilicet per quempiam unde ad presentiam euocata fuerit, iudicare nullatenus presumatis. Sed potius causam seu causas ipsius, ad generalia colloquia aut ad nostram presentiam remittatis. Si quis namque contra predictam Annam relictam

acciones rationabiles habuerit, ad ipsum^{b)} in colloquiis generalibus uel coram nobis prosequatur, ne jure suo destitui videatur quomodolibet uel frustrari etc.

a) lectio incerta: « possit »?

b) lectio incerta: « id ipsum »?

N. 5

s.l., s.d.

Ignotus

ignoto;

*de terminis iudicialibus Michaelis, qui est in captivitate Tartarorum
(Fragmentum)*

F. 3 r. Quomodo strenuus Michael nunc, ut dicitur communiter et famatur, captivitate gentis Thartarice extat deditus, diuina permittente uoluntate, ita quod terminis iudicialibus etc.

N. 6

s.l., s.d.

(Wladislaus II rex Poloniae)

judici,

ne ciues Cracovienses ad iudicia terrestria trahantur

F. 3 r. Littera, quod ciues non citentur de iure suo.

Iudici etc. Ad nostre celsitudinis presenciam est deductum, quomodo crebris vicibus ciues nostri Cracovienses per nonnullos terrigenas calumpnios vexarentur terminis, ita contra eorum jura fraternitatis et munimenta, que satis efficacia obtinent de ipsorum jure ciuili, ad iudicia terrestria traherentur in eorum jurium ciuilium preiudicium et offensam. Quocirca vobis mandamus, quatenus dictos nostros ciues per quempiam ad vestri presenciam evocatos, nulla iudicare debeatis racione, sed ipsos ad eorum iudicia ciuilia remittatis, ut jura libere fraternitatis et munimenta ipsorum illesa permaneant et inuolabilia conseruentur etc.

N. 7

s.l., s.d.

Wladislaus (II) rex Poloniae

universis;

Stanislaum de Gojczow procuratorem in causa sua contra Barthosium constituit

F. 3 v. Wladislaus, Dei gracia rex Polonie etc. Significamus quibus expedit tenore presencium, cum uniuersis, quomodo ex certis racionabilibus et racioni consonis animum nostrum mouentibus, terminum iudiciale, quem cum domino Barthosio ad presens in Cracouia de et super hereditate Damanow dicta et proprietate eiusdem habemus uel habituri sumus, non valentes personaliter attemptare, strenuum Stanislaum de Gojczow ad causam predictam regendam, gubernandam, tuendam, defendendam, et nomine nostro dirigendam, misimus et mittimus tenore presencium, mediantes, dantes et concedentes etc.

(Wladislaus II rex Poloniae)
capitaneo et iudicibus
causam Katherinae iudicandam commendat

F. 3 v. Capitaneo, iudici, subiudici etc. Fideles nostri, mandamus vobis seriose et districte precipientes, quatenus dominam Katherinam iuxta contenta litterarum suarum, quas a nobis et aliunde optinet cum suis aduersariis, cum quibus materiam accionis coram vobis habuerit, iusticiam, mox visis presentibus, faciatis omnimodo expeditam etc.

(Wladislaus II rex Poloniae)
iudicibus;
causas Nicolai de Boleslavia et Petri de Cracovia, fratrum, prorogat et proprio iudicio reservat

F. 3 v. Littera prorogatiua terminorum ex parte alicuius.

Judici, subiudici etc. Fideles nostri dilecti, quia Nicolaus de Boleslavia nostris prepeditus serviciis, terminis in quo Petrus de Cracouia, frater suus germanus, ipsum statuere et producere debuit in iudicio vestro, nequit personaliter interesse nec eundem terminum quouismodo attemptare, quo circa vobis damus etc., quatenus eosdem terminos tam productionis

F. 4 r. eiusdem Nicolai, quam eciam et ipsius Petri, fratrum germanorum, prorogare debeatis et differre tamdiu, quousque in Cracouia, dante Domino, fuerimus constituti, nec eos aliqua iudicare presumatis racione. Efficientes, ut idem Nicolaus ob non productionem et constitutionem fratris sui Petri predicti, nullum penitus incurrat preiudicium uel grauamen etc.

(Wladislaus II rex Poloniae)
universis;
recognoscit certas pecunias a civibus Cracoviae perceptas per Nicolaum de Cracovia

F. 4 r. Significamus tenore presencium, quomodo, dum honorabilem Nicolaum de Cracovia, pro exigenda racione a ciuibus nostris de Cracovia, de et super percepcione theolonei per ipsos ciues ibidem in Cracouia subleuati et exacti collocassemus, tandem ipse dominus Nicolaus visis et diligenter auditis eorumdem ciuum registrum et raciocinis^{a)} inuenit in eisdem, quomodo idem ciues de huiusmodi theoloneis, a festo sancti Johannis Baptiste de anno Domini millesimo CCCC^o duodecimo usque ad diem dominicum ante eiusdem sancti Johannis festum de anno Domini M^oCCCC^oIX^o b), .XL. duas marcas cum .X. scotis perceperunt, quarum quidem pecuniarum totalem summam ad mandata nostra pro balistis, pro pannis et ad litteras nostras quittatorias integraliter et ultra hoc de eorum propriis pecuniis .XX. scotos exposuerunt.

De quibus quidem .XL. marcis ipsos tenore presencium absoluimus et quittamus, .XX. vero unum scotos, quos de propriis pecuniis, ut premititur, exposuerunt de eisdem

F. 4 v. theoloneijs recipiendi plenam damus et omnimodam concedimus facultatem etc.

a) in ms. «raclocini(us)»; lectio incerta.

b) sic in ms.

N. 11

s.l., s.d

(Wladislaus II rex Poloniae)

universis;

recognoscit ducentas marcas a Nicolao de Bronsko in pignus oppidi B. perceptas

F. 4 v. Recognicio.

Significamus etc., quod apud Nicolaum de Bronsko nostrum fidelem, ducentas marcas pecunie communiter in regno nostro decurrentes, .XL. octo grossos in marcam quamlibet computando, mutuauimus et nos in eisdem sibi debitorie obligari presentibus profiteamur. Quas sibi in reuolucione unius anni integri, videlicet super festo sancti Johannis proximo sequenti, soluere promittimus integre et de pleno. Quas si non exsoluerimus seu aliquo casu occurrenti soluere neglexerimus, tunc easdem ducentas marcas, in et super opido Baucow nostro in terra Maiori Poloniae sito, eidem ascribimus quot et ante a nobis habuerit in certa pecuniarum summa sibi obligatum, super quas litteras nostras habere dinoscitur speciales. Quod quidem opidum Bawcow, ut sic in huiusmodi ducentas marcas et in alia certa pecuniarum summa, super qua, ut premititur, litteras nostras habere dinoscitur speciales, cum omnibus eius utilitatibus, censibus, fructibus, prouentibus habebit, tenebit, utifruetur et pacifice possidebit, quousque dicte pecuniarum summe ei successiue et separatim in dicto opido B. per nos ascripte, aut successores nostros, sibi uel eius successoribus legitimis coniunctim uel diuisim realiter fuerint persolue etc.

N. 12

s.l., s.d.

(Wladislaus II rex Poloniae)

abbati et fratribus in Cracouia

aliquam gratiam concedit

(Fragmentum)

F. 5 r. Libertas.

Significamus etc., quomodo habita plena consideratione ad constantiam murorum, structurarum et diuersorum laborum, operationes circa ecclesiam et monasterium in Cracouia, per abbatem et fratres ibidem continuare diligenter inceptas, horum intuitu speciali zelo deuocionis accensi, volentes eundem abbatem et eius fratres fauore prosequi graciose et ad continuandum eosdem atrahere et reddere apciores, ut nostris suffulti munificentis sub nostro felici regimine oracionibus liberius vaccare potuerint et pro nobis Altissimum iugiter exorare, omnibus et singulis ipsorum kmethonibus etc.

(Wladislaus II rex Poloniae)

universis;

confirmat "arrendationem" salinarum, de qua Nicolaus de Galamino cum Przechlao et Nicolao de Czacz convenit

F. 5 r. Significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis, quomodo validus Nicolaus de Galamino miles noster fidelis, serenitatem nostram in censibus et prouentibus nostris, prout benemerito et fideli conuenit, cupiens reddere cerciorem, zuppas nostras Przechslao et Nicolao de Czacz pro nonigentis .XL. marcis nummi et ponderis Polonicalium, .XL. marcas, .LVI. grossos in marcam quamlibet computando, arrendauit et conuenit seu vendidit, a festo sancti Martini proximum affuturo, ad quattuor annorum continue se sequencium spacium et decursum, iuribus tamen castri P. penitus exceptis et exclusis, talem ordinacionem secum faciendo, quod idem Nicolaus racione earundem zupparum P. taliter per ipsum emptarum

F. 5 v. nobis de primo anno ducentas marcas, secundo uero tercio et quarto annis per ducentas et .L.^a marcas soluere tenebitur, et debet illo eciam addito specialiter et expresso, quod idem Nicolaus sibidem usus quoscumque poterit meliores, uidelicet cum sale earundem zupparum fluitando uel qualitercumque aliter laborando, inducere ac eciam meliorare poterit, dum nisi illud ^{a)} zuppe salis B. in preiudicium non transiret, nos uero hanc arendacionem zupparum P. predictarum ratam, gratam atque firmam habentes, ipsam iuxta arendacionem et ordinem per eundem Nicolaum de B. factam, inuiolabilem volumus permanere.

a) in ms. « z » bis scriptum, semel deletum.

Wladislaus (II) rex Poloniae

universis, capitaneis etc.,

ut libere boves carnificibus Cracouiensibus per Lelouiam et Sandomiriam ducere permittant

F. 5 v. Wladislaus, Dei gracia rex Polonie etc. Universis et singulis capitaneis tenutarum, burgrabiis, procuratoribus, aduocatis, consulibus theoloneorum, passuum, locorum custodibus et quibusuis regni nostri officialibus et subditis eorumque vicesgerentibus, presentibus requirendis, nostris fidelibus dilectis. Graciam regalem etc. Quia ciuibus et carnificibus nostris Cracouiensibus de regno nostro .CCCC.tos .VI. boues ad quattuor dies in Cracouia proximo, super festo Natiuitatis sancte Marie celebrando pellendos indulsimus, quorum quidem centum per Lelouiam et tricenti per Sandomiriam pelli debebunt, a quibus tamen theolonea undique solita nobis debent solui et pagari, quocirca vobis et vestrum quilibet, nostris firmis damus regalibus in mandatis, quatenus dictos .CCCC. boues viis per Lelouiam et Sandomiriam predictas, sollicitis nostris ab eisdem ex-

F. 6 r. actis theoloneijs ire et pelli libere et sine quouis impedimento permittatis et permitti faciatis nostre graciae sub optentu.

Aliud in premissis facere non ausuri etc.

(Wladislaus II rex Poloniae)

universis, capitaneis etc.,

ut Nicolao advocato Siradiensi liberam venditionem salis permittant

F. 6 r. Littera, quod sal vendatur libere ex consensu regis.

Universis et singulis capitaneis, procuratoribus, burgrabiis, consulis ciuitatum in terris nostris Cuiuae, ubilibet constitutis, ad quos presentes pervenerint et qui presentibus fueritis requisiti, nostris firmis etc. Fideles nostri etc., quia Nicolao advocato Siradiensi sal de partibus, quod Russie adduxerit, licitam in terra Cuiuae vendendi concessimus facultatem, quocirca vobis damus etc., seriose iniungentes, quatenus eidem Nicolao sal huiusmodi vendere et propinare, iuxta quod sibi melius expeditum videbitur, sine quolibet impedimento permittatis in locis omnibus terre Cuiuiensis supradicte, ita quod in venditione salis prefati, tam in choretis quam etiam in mensuris et alio modo quocumque vendere poterit, non sit per vos aliquo modo impeditus etc.

(Wladislaus II rex Poloniae)

universis, principibus etc.

de Nicolai de Bolesławiec ad munus collectoris regis promotione

F. 6 r. Uniuersis et singulis principibus ecclesiasticis et secularibus, comitibus, abbatibus prepositis, barronibus, militibus, nobilibus, clientibus in terra nostra Cracouiensi ubilibet constitutis etc. Fideles nostri, uniuersitati vestre prouidimus declarandum, qualiter honorabilem Nicolaum de Boleslauecz aule nostre notarium fidelem dilectum de sue legalitatis et prudentie plenam gerentes

F. 6 v. fiduciam, in collectorem fructuum camere nostre per vestros subditos debitorum prefecimus et instituimus vigore presencium mediante, quapropter fidelitatem vestram hortamur et requirimus desiderantes ex affectu, quatenus ^{a)} eidem Nicolao de omnibus et singulis, que ad predictam collectoriam pertinere noscuntur, per eosdem subditos vestros faciatibus absque contradiccione qualibet responderi tamquam collector inibi per nostram excellectiam constituto etc.

a) in ms. « quatinus ».

Wladislaus (II rex Poloniae)

universis;

de moratoria Iohanni mercatori Cracoviae concessa

F. 6 v. Wladislaus, Dei gracia etc. Uniuersis et singulis aduocatis, consulibus, scabinis, communitatibus ciuitatum et opidorum in regno nostro ubilibet existencium, qui presentibus etc. Fideles nostri dilecti, circa relacionis informacionem didicimus, quot Johannes ciuis et mercator noster Cracouie fidelis, queque bona sua et res mercimoniales in partibus extraneis videlicet Ungarie, Austrie et Morauię habens repositas,

modo mercatorio ipsam et vere omnem substantiam suam ibidem disper-
sit ad prestam tribuendo, que repetere in suis debitoribus leuiter nulla
potest ratione propter disturbia et dissensiones vigentes in partibus illis,
in quibus eadem prestando dispergere procurauit. Solus vero per credi-
tores suos, in quibus indebitos existit, variis monicionum vexacionibus
tribulatur et opprimitur onerose, cuius inopie et tribulacionibus pie et
misericorditer volentes succurrere, ne succumbat, et eum nostrarum pre-
rogatiuarum libertatibus graciosius consolare, ut nostris

F. 7 r. suffultus munificentis sub nostro felici regimine, uberius
respirare valeat et Creatoris nostri clemenciam pro nobis iugiter exo-
rare, sibi et consorti sue ab omnium ciuitatum et opidorum in regno
nostro existenciam et quibusuis aliis iudiciis, plenam damus et omni-
modam tenore presencium concedimus libertatem^{a)} ad unius anni
dumptaxat spacium et decursum, ita quod coram vobis ad iusticiam
cuiuscumque pro debitis citati fuerunt, respondere non tenebuntur nec
debebunt interimque vigilare debet quomodo substantiam suam sic
dispersam a debitoribus suis posset resumere et eam pristine sue^{b)} red-
dere dicioni. Quocirca vobis et vestrum cuilibet, et signanter ciuibus
Cracouie nostris etc., quatenus eundem Johannem et eius consortem per
quempiam ad vestri presenciam pro debitis evocatos et citatos, iudicare
nulla presumatis ratione. Ipsosque circa hanc, quam^{c)} ipsis concessimus
inuolabiliter conseruare debeatis libertatem, decernentes et omnino
inhibentes omnibus et singulis utriusque sexus regni nostri indigenis,
cuiuscumque status, condicionis aut preeminencie existant, contra
eosdem Johannem et Katherinam, non tantum in regno nostro sed et
in partibus extraneis, in facto debitorum huiusmodi, iuridice seu quo-
quo^{d)} alio modo nichil penitus attemptatorie presumatis infra reuolu-
cionem unius anni, ut preferitur, a die date presencium continue com-
putando etc.

a) in ms. vox « facultatem » deleta.

b) in ms. littera « d » deleta.

c) in ms. « quem ». Vox « sibi » deleta.

d) in ms. vox « alio » bis scripta, semel deleta.

N. 18

s.l., s.d.

*Wladislaus (II rex Poloniae)
capitaneis etc. Maioris Poloniae;
causas abbatis monasterii de Lekno alias Wągrowiec eiusque hominum
a iurisdictione terrestri eximit sibi que reservat*

F. 7 r. Wladislaus, Dei gracia etc. Significamus tenore presencium
quibus expedit uniuersis, quomodo ad euitandum

F. 7 v. terminorum iudicialium vexaciones et dispendia, quibus abbas
monasterii et conuentus in Lekno alias Wangrowecz vexari presumitur
et turbari, eundem abbatem a vexacione et grauamine omnium termi-
norum parcialium seu minorum, videlicet terrestrium, prouincialium et
aliorum quorumcumque, ad nostre voluntatis beneplacitum absoluimus
et omnimode liberamus. Vobis igitur capitaneis, iudicibus, subiudicibus,
burgrabiis et quibusuis aliis officialibus et ministris eorumque vicesge-
rentibus iudiciis nostris Maioris Polonie ubilibet presidentibus, presen-
tibus requirendis nostris firmis etc., quatenus dictum abbatem de Lekno
et eius homines, per quempiam ad vestri presenciam euocatos et citatos,

nulla iudicare presumatis ratione. Causas eius quaslibet ad nostram aut capitanei nostri presenciam siue eciam ad colloquia generalia iudicanda remittentes, quousque aliud a nobis habueritis in mandatis, aliud pro gracia nostra non ausuri.

N. 19

s.l., s.d.

Wladislaus (II) rex Poloniae

universis;

fratri Petro O.P., inquisitori, saluum conductum et operam brachii saecularis dare iubet

F. 7 v. Wladislaus, Dei gracia rex Polonie etc. Uniuersis et singulis, capitaneis, burgrabiis, castellanis, procuratoribus generalibus, viceprocuratoribus, aduocatis, consulibus, scabinis, et aliis officialibus terrarum, castrorum, ciuitatum, opidorum ubilibet intra dominium nostrum constitutis et constituendis, ad quos presentes pervenerint, gratiam et omne bonum. Cum religiosus vir nosterque deuotus frater Petrus, lector sacre theologie ordinis Fratrum Predicatorum, inquisitor heretice prauitatis in regno et terris nostro dominio subiectis ac in diocesi Cracouiensi auctoritate

F. 8 r. apostolica, necnon per reuerendum in Christo patrem dominum Petrum, Dei gracia episcopum Cracouiensem auctoritate ordinaria specialiter deputatus, pro Dei seruicio et exaltatione sancte fidei orthodoxe, habeat in locis seu partibus vestre iuridicioni commissis exercere officium inquisitionis, ut heresis, detestabile crimen, adiectis partibus quibus presidemus si forsitan alicubi, quod absit, vigeat siue euoleat, valeat extirpare, nosque velud princeps catholicus magnifice recognoscimus, quod multa bona suscepimus de manu Domini, utpote gracias agentes ipsi, qui de tenebris gencium in admirabile lumen fidei catholice mirifice nos vocauit, necnon sublimauit ad culmen regie dignitatis, propter quod volentes predictum inquisitorem tamquam ministrum Dei, specialem in predictis et aliis, que diuinum concernunt obsequium, nostris prosequi graciis et fauoribus opportunis, vobis et unicuique vestrum iniungimus ac sub optentu nostre graciae regalis districte precipiendo mandamus, quatenus ^{a)} prefatum inquisitorem ad exercendum libere suum inquisitionis officium, in terris et locis vestre iuridicioni subiectis fauorabiliter admittatis, et quocienscumque in exequendo dicto officio seculare brachium contingerit ipsum inuocare, sibi auxilium vestrum fideliter et cum effectu prebeat, capientes quoscumque dictus inquisitor de memorato facinore suspectos aut diffamatos seu eosdem hereticos nouerit aut duxerit nominandos,

F. 8 v. captos eciam detineatis infra iuridicionem vestram, sub arcta et diligenti custodia, ut deducatis ad locum, ad quem idem inquisitor mandauerit, donec negocium super crimen predictum cum sit mere iuridiccionis ecclesiastice, per iudicium ecclesie terminetur, condemnatos quoque et relictos curie seculari, statim recipiatis indilate animaduersione debita puniendos necnon omnia studeatis adimplere, que spectant ad officium vestrum iuxta leges Frederici imperatoris approbatas per canonica instituta, prout ipse inquisitor decreverit et quotiens vos duxerit requirendos, ut autem prefatus inquisitor suum inquisitionis

officium securius et liberius valeat exercere nostro suffultus presidio et fauore, ipsum eiusque societatem et familiares ac una eorum sub nostra protectione regali benigne recipimus, per presentes mandantes vobis, ut supra quod dicto inquisitori eiusque societati, notariis et familie, (n)ullam iniuriam nullumque grauamen aut dampnum in personis siue bonis a quoquo inferri permittatis, ymmo pro nostra speciali gracia, de securo transitu, necnon saluo conductu sibi prouideatis, una cum expensis competentibus iuxta modum laudabilem aliarum prouinciarum circa talia obseruari consuetum, dum predictum inquisitionis officium aput vos exercebit, scientes, quod gratum obsequium diuine maiestati nostreque celsitudini magnam complacenciam in hoc facientes et presertim, si ad repellendum procul a finibus

F. 9 r. nostri regni heretice prauitatis infamiam de incolis dicti regni, Deo preseruante, hactenus inauditum, supra dicto inquisitori fideliter in premissis assistentes opem et operam prestiteritis efficacem. Si autem, quod non credimus, aliqui cuiuscumque condicionis huic negotio dicto inquisitori comisso, se opponere seu aliud presumpserunt aliquatenus impedire, ut non posset procedi libere in eodem, ymmo nisi requisiti illud fouerint et iuxta officium et posse suum singuli inuenerunt studiose, ex tunc volumus et promittimus, quod inquisitor antedictus contra eos tamquam hereticorum fautores et defensores, secundum canonicas sanctiones fretus nostra licencia ac fauore, intrepide procedat et premissa omnia viriliter exequatur, contradictores ^{b)} per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendo, non obstantibus priuilegiis, libertatibus et exempcionibus seu litteris promisse securitatis quibuscumque, personis cuiusuis condicionis, status, gradus et dignitatis, tam christianorum quam iudeorum, scismaticorum et aliorum nostrorum subditorum seu comunitatibus eorum aut uniuersitatibus terrarum, ciuitatum, opidorum, villarum et aliorum locorum per nos et alios serenissimos principes, reges et dominos terrarum regni Polonie generaliter et specialiter, sub quacumque uerborum expressione in contrarium alicuius

F. 9 v. premissorum concessis uel inposterum concedendis. Nolentes ex huiusmodi priuilegiis, libertatibus aut statutis municipalibus uel prouincialibus seu consuetudinibus qualitercumque introductis prefato inquisitori quodcumque obstaculum aut impedimentum in tanto pietatis negotio directe uel indirecte interponi per quemcumque.

a) in ms. « quatinus ».

b) in ms. vox « detractores » deleta.

N. 20

s.l., s.d.

(*Wladislaus II rex Poloniae*)
ignoto;
de iuribus cancellariae Cracoviensis
(Fragmentum)

F. 9 v. Fidelis noster dilecte. Iuxta comissionem tibi per nos oretenus factam in Leona, iteratis tibi mandamus vicibus, quatenus habita bona experientia, omni rubore postposito, de iuribus cancellarie Cracouiensis suscitari debeas, qualiter pene iudiciales ac notoria terrestria ad

ipsam alias pertinebant. Quaquidem experientia recepta et certitudine, ipsam cancellariam circa jura et consuetudines omnes dimittas et relinquas.

N. 21

s.l., s.d.

(*Wladislaus II rex Poloniae*)

cuidam (clerico),

ut a citatione ad curiam Romanam Annae viduae et partis civitatis Kalisz recedat et ad propria revertatur

F. 9 v. Fidelis noster ^{a)} recolimus, nec a tuis credimus recordiis excidisse, quomodo, dum tuis exigentibus demeritis tibi fuissem indignati, veneras ad nos in Lithuaniam, una cum Daud, ubi tunc dux Witoldus cum eodem Daud, mediantibus suis precatibus nostram tibi gratiam quesierunt, taliter tamen, quod amplius celsitudini nostre obediens esse et absque scitu nostro nullas huiusmodi nouitates debuisses inferre. Nunc autem multi barronum, nobilium et incolarum regni nostri, non sine querela graui ad nostram audienciam detulerunt, quomodo licet reddenda tibi jura in regno nostro numquam denegassemus iusticie complementum, tu tamen iudices, officiales, et dignitarios nostros nonnullosque alios nobiles et relictam olim

F. 10 r. Annam nostri fidelis, quod grauiter ferimus ac eciam partem ciuitatis nostri Calisz, nullo ad maiestatem nostram habitu respectu, ymmo veterum consuetudinum regni laudabilium in contemptum, ad Romanam curiam citari personaliter procurasti, propter quod commota est regni nostri barronia et milicia fere tota nostra super hiis presidia implorando, propter quod et nos exacerbari cogimur vehementer. Quapropter tuam requirimus deuocionem, quatenus a citacionis huiusmodi processu omnino desistens, ad propria reuertaris, ubi contra et aduersus personas quascumque regni nostri, cum quibus agendum habueris, tibi mandabimus fieri iusticie complementum. Causam quoque seu causas huiusmodi tuas, quibus spirituale jus competit per episcopos, et que de foro spirituali seculares fuerunt per barrones et iudices regni nostri faciamus iudice et finaliter terminari. Secus autem si feceris, extunc taliter facere et prouidere volumus, ut homines nostri nulla per te grauamina paterentur etc.

a) « dilecte » deletum.

N. 22

s.l., s.d.

(*Wladislaus II rex Poloniae*)

ignoto,

ut in adiutorium principis cuiusdam contra Moscoviam personaliter eat, vel saltem lanceam mittat

F. 10 r. Fidelis noster dilecte, quia illustris princeps frater noster carissimus, contra duces Mosquenses christiane fidei inimicum, expeditionem intendit facere, et nos pro subsidio faciendo instanter rogauit, an utique sub(s)iduum ^{a)} facere decreuimus opportunum et sibi gentes armorum disposuimus in breui transmittendas, quocirca fidei-

tatem tuam requirimus ex affectu, quatenus, si te ad eandem expeditionem personaliter expedire nequens saltem unam lanceam bene armatam expeditas ad eandem, gratum et multum acceptum nobis in eo obsequium ostensurus.

a) in ms. « subdium ».

N. 23

s.l., s.d.

(*Wladislaus II rex Poloniae?*)

ignoto,

ne Clementem, in bonis Nicolai, iniuriis afficiat

F. 10 v. Fidelis noster. Pleris vicibus audiencia nostra querularum proposicionibus venerandi Nicolai pulsabatur. Quomodo tu ipsum in bonis ipsius vicinis discretum Clementem, multis iniuriarum afficis materiis et afficere non desistis, quamuis predicta bona ipsius a bonis predicti, discretus C(lemens) ereccione granicierum et metarum fuit efficaciter limitata et distincta, de qua limitatione et distincione et fratribus tuis et aliis probis hominibus bene constat, ad quorum testimonium predictus Nicolaus se remittit, pro quo tue fidelitati seriose comittimus omnino volentes, quatenus bona ipsius N(icolai) in limitibus huiusmodi nulla mouere debeas racione, dampna eciam, si que interim eidem Nicolao intulisti, sibi ad plenum refundens ymmo potius efficiens, quod idem Nicolaus amplius contra te coram nobis nullam occasionem habeat querulandi, nec speras si secus feceris, quod de nobis intercessorem habere posses in factis superius expressis etc.

N. 24

s.l., s.d.

Ignotus

episcopo Cracoviensi

permutationem praebendarum collationis regiae inter Nicolaum de Bodzanów, qui praebendam S. Floriani in Cracovia habet et Petrum de C., parochum in Dawidów, commendat

F. 10 v. Principi etc., uel eius in spiritualibus generali vicario, nobis sincere dilectis. Quia honorabilis Nicolaus de Bodzanow et Petrus de C. ^{a)} cupientes se permutare locis, salubrius exercere, idem Nicolaus prebendam suam Sancti Floriani in Cracouia, pro ecclesia parochiali dicti C. ^{b)} in Dawidow, nostre collacionis, intendunt permutare. Quem quidem C. ^{c)} paternitati vestre in Christi nomine duximus presentandum, eandem paternitatem vestram petentes ex affectu, quatenus ipsum Nicolaum de eadem parochiali ecclesia in D. dum et quando ipsam predictus C. ^{d)} aut aliquis suo nomine, ad manus paternitatis vestre resignauerit canonice, velitis inuestire, Nicolaum uero predictum ad memoratam prebendam Sancti Nicolai, dum eciam vobis resignata fuerit confirmare

F. 11 r. administracionem temporalium et spiritualium utrique in huiusmodi beneficiis committentes, adhibitis cerimoniis et solempnitatibus circa talia fieri consuetum ^{e)}.

a) b) c) d) vel « T. ».
e) sic in ms.

F. 11 r. Principi, presuli, eximio patri, reuerendo etc., honorabilibusque viris prelati et canonicis ecclesie Cracouie gratiam etc. Princeps presul etc., honorabilesque viri nobis sincere dilecti. Vobis constare poterit et valet prout barronibus et ceteris terre Cracoviensis hominibus est notorium, quomodo cancellaria Cracouie est spiritualis dignitas et principalis^{a)} inter beneficia collegiate ecclesie Sancti Stanislai in castro nostro Cracouiensi. Que quidem cancellaria a tempore cuius contrarii memoria non existit, quibusdam bonis predialibus et certis decimis est dotata, et possessores ipsius cancellarie, eisdem bonis predialibus et decimis ab antiquissimis temporibus pocebantur pacifice et gaudebant. Nunc autem quidam Paulus plebanus de Conarii, nescimus quo ductus spiritu, iure comuni asserens eandem cancellariam dignitatis mere secularis, nec capacem decimarum. Quadam decimam Conarii ad eandem spectantem, pro se vellet usurpare, sic quod anno preterito cupiens nos collatorem et cancellarie possessorem circumuenire indirecte, vilicum cancellarii nostri ad presenciam officialis vestri citari procurauit, ut simplicitate eius delusa, accessum ad eandem decimam liberiolem quamuis inique, habere potuisset, de cuius citacione nobis et cancellario nostro penitus nichil constitit,^{b)} sicque quod quidem procurator cancellarii quamuis generalis non tamen ad hanc causam constitutus, timens eundem vilicum et cancellarium eciam per calumpniam opprimi, non informatus a cancellario, pro ipso villico interuenit et per modum reconuencionis contra eundem dominum Petrum

F. 11 v. de Moskorzow egit, erronee asserens, quod eadem decima a vicecancellario Sandomiriensi pertineret, tandem post varios terminos factum hoc, nobis in remotis partibus unacum cancellario nostro constitutis, ad noticiam nostram est deductum sic, quod nos in cause huius dubiis cerciorari volentes,^{c)} ad dominum officialem vestrum literas scripsimus, petentes ipsum instantissime, ut causam talem ad presenciam domini episcopi reduceret et eam suspenderet ad certum tempus et quod informasset nos in quo puncto staret, ut sciuissemus calumpnie tali viam precludere. Quiquidem dominus officialis nescimus, in quem finem hoc ipsum facere noluit, cum tamen satis possibile fuit, quod per nos petebatur et cum eciam ceteri officiales, ymmo archiepiscopi et episcopi, nostras iustas petitiones admittunt grata mente. Quocirca vestram deuocionem studiose petimus et hortamur, quatenus conspectum accusatum^{d)} huius cause, in quibus nullus ordo seruabatur, efficere velitis, ut jus comune non deroget speciali, et quod cancellaria et cancellarius Clemens ab impetitione eiusdem Pauli, cuius accio et peticio locum non habet, absoluatur et pro maiori certitudine potestis requirere antiquos prelatos: cantorem, tandem Wolomirum et alios, qui sciunt, quod ista dignitas est spiritualis et, ut in facto isto plenius possetis informari, famosum Johannem tribunum Dobrinensem, nostrum fidelem, ad vestri medium nostris intencionibus vobis ex parte nostri oretenus referendis plenius informatum dirigitum affectanter^{e)}, quatenus sibi in dicendis pro hac vice certissimam velitis dare fidem etc.

a) in ms. « dignitas » (?) deletum.

b) in ms. « consistit » bis scriptum, semel deletum.

c) in ms. « ad noticiam nostram est deducta » deleta.

d) e) lectio incerta.

*Petrus episcopus Cracoviensis
universis;*

s.l., s.d.

Nicolao de Popów villam Bukowe ad vitam donat

F. 11 v. Petrus, Dei gracia episcopus Cracoviensis. Ad uniuersorum et singulorum noticiam deducimus per presentes, quod venerabilis

F. 12 r. viri domini Nicolai de Popow affectum, quo erga nos et ecclesiam nostram Cracouiensem sepius se exhibuit et in futurum, propiciante Domino, se utilem et presincerum exhibebit, ac cupientes ipsum in nostrum et ecclesie nostre, iam dicte, amorem elicere, erigere et erectum firmiter solidare, sibi tamquam benemerito et premissorum studio, villam nostre mense episcopalis Bucowe nominatam, in Cracouie districtu sitam, de venerabilium fratrum nostrorum dominorum... capituli ecclesie nostre predictae rathabitatione et consensu, in gratiam dedimus, contulimus, damus, conferimus, donamus et assignamus per presentes ad tempora vite predicti Nicolai, aut ad prouisionem alicuius ecclesie cathedralis sibi fiendam cum omnibus et singulis fructibus, censibus, redditibus, prouentibus et obuencionibus uniuersis pleno dominio, prout eadem villa ad nos noscitur pertinere, tenendum, habendum, possidendum, gubernandum, percipiendum, ad vite eius tempora, ut prefertur. Quoquidem Nicolao, de medio, cum Deo placuerit, sublato, extunc eiusdem ville possessio ad nos et ad nostram mensam episcopalem predictam sine difficultate reddibit pleno jure.

s.l., s.d.

Ignotus

ignoto;

de iuribus et privilegiis ecclesiae Cracoviensis

F. 12 r. Volentes ecclesiam Cracouiensem circa jura et ipsius privilegia conseruare, cuius possessiones videlicet ville, terre, domus^{a)} sunt, ut intelleximus, ab omnibus exactionibus regalibus, solucionibus et contributionibus solute penitus et exempte, quocirca etc., quatenus in eisdem villis exactionem summalem exigere minime debeatis nec exigi per quempiam ac quomodolibet permittatis, ut ecclesia predicta concessa sibi gaudeat libertate.

a) ? in ms. « v.t.d. ».

s.l., s.d.

(Wladislaus II rex Poloniae)

quibusdam clericis,

ne causa contra Petrum de Baccowice ad curiam Romanam deducatur

F. 12 r. Auribus nostris, quibus quidam instillauit auditus, quomodo contra Petrum de Baccowicze quasdam notas infamie in curia Romana ad Sedem Apostolicam deberetis deducere, que eciam nostram contingerent maiestatem. Sed quia premissa per vos, nobis nuper facta a tali

F. 12 v. proposito vos merito deberent reducere, ideo vestram requirimus deuocionem, vos petentes ex affectu: quatenus reductis eiusdem premissis nobis factis ad animum, nichil talium, que famam eiusdem domini Johannis episcopi fratris vestri^{a)}, quidem et nostram possent ledere, memorare, quia quitquit contra ipsum taliter factum foret, nobis factum volumus reputare.

a) in ms. « vestris ».

N. 29

s.l., s.d.

*Stanislaus de Golczów
universis;*

sub protectione Wladislai (II regis Poloniae) se esse declarat

F. 12 v. Ego Stanislaus de Golczow^{a)} significo quibus expedit uniuersis, quomodo ex eo quod serenissimus princeps dominus Wladislaus etc., dominus meus graciosus, graciose voluntatis ad me committens animum, me cum bonis meis hereditariis, tam spiritualibus quam paternalibus in proteccionem et tuicionem suam dignatus est^{b)} recipere, sibi et corone sue sinceram fidelitatem prout teneor ex debito seruare, promitto, bonum, comodum et honorem ipsius tangencia toto posse disporre, et eum ab omnibus aduersitatibus michi cognitis premunire, nec umquam contra ipsius celsitudinem et eius regnum acer^{c)} facere, sed ei cum plene fidei constancia decenter famulari, dolo et fraude quibuslibet procul motis.

a) in ms. « Gohczow » correctum in « Golczow ».

b) in ms. « es », « de » deletum.

c) sic in ms.

N. 30

s.l., s.d.

*Iohannes de Tęczyn et Clemens de Moskorzew auditores regis
universis;*

in causa rationis a Nicolao Cracoviensi reddendae sententiam ferunt

F. 12 v. Johannes de Thanczin, Clemens de Moszcorzow, Wislicieneses castellani etc., auditores rationis infrascripte, per dominum dominum regem ad hoc specialiter deputati, quibus expedit tenore presencium recognoscimus uniuersis, quomodo presidentibus nobis rationi subscripte, prudens Nicolaus ciuis Cracouiensis, ad reddendam rationem de hiis, que de thezauro regio^{a)} zupparum, de censibus et de molendinis et aliunde perceperat, registra et raciocinia sua in medium nostri produxerat. Tunc reuolutis per nos et exactissime computando conspectus huiusmodi raciociniis, in eisdem inuenimus contineri, quomodo idem Nicolaus de thesauro dicti domini

F. 13 r. regis, per manus Nicolai custodis eiusdem thesauri, recepit centum .LXX. marcas a Petro zuppario Gallico, noningentas quatuor marcas, de quibus idem Nicolaus pro equis domino regi .II. marcas, pro asseda domine regine et omnibus ad eam pertinentiis .LXX. marcas exposuit et pro debitis domini regis centum marcas exsoluit, ita quod ipse dominus rex dicto Nicolao ultra percepte pecunie expositionem, remanet obligatus .II. marcis cum quatuor grossis. Item percepit idem Nicolaus de censibus, a festo sancti Nicolai de anno Domini millesimo

quadringentesimo duodecimo usque ad festum sancti Laurentii de anno Domini millesimo CCCC^o XX^o ^{b)}, duo milia marcarum, quas quidem pecunias idem Nicolaus pro expensis castri etc. exposuit et hincinde distribuit cum effectu, preter duas marcas in quibus domino regi obligatur. Nostris sigillis subaffixis.

- a) hic littera abrasa.
b) lectio incerta.

N. 31

s.l., s.d.

Ignotus

ignoto episcopo

Nicolaum de Boleslawiec ad sacros ordines promovendum praesentat

F. 13 r. Provisio ad episcopum.

Oraciones in Christo humiles et deuotas reuerende pater et domine graciose. Ex eo quod Nicolaus de Boleslauecz vestre diocesis clericus, exhibitor presencium, bone et laudabilis conuersacionis et litterature eciam decentis esse noscitur, cuius legalitas, constancia a pluribus fidedignis plurimum commendatur merito, ipsum eodem vestre paternitati decreui comendandum, paternitati predictae humiliter supplicans et deuote, quatenus eundem vestra paternitas ad prouisionem meam ad sacros clericorum ordines graciose et paternaliter velit promouere, cui iuxta posse meum, prouisionem alicuius beneficii tempore occurenti facere procurabo.

N. 32

s.l., s.d.

Ignoti

ignoto clerico

(Exordium epistolae, fragmentum)

F. 13 r. Amice noster carissime. Utinam animus noster saperet ac nouissima prouideret. Quibus v(ostra) p(aternitas) gratas debitas redderet et refferret ^{a)} pro beneficiis nobis etc.

- a) « pro nobis » deletum.

N. 33

s.l., s.d.

Ignotus (rex?)

ad ignotam (reginam?);

excusatio de delata responsione

(Fragmentum)

F. 13 v. Soror nostra carissima. Non ascribat vestra dominacio desidia aut inaduertencie nostre, quod vobis ad scripta vestra a nobis non erat responsum usquemodo. Noueritis enim aliquo modo grauata priori iniecta materie, nos non sinebant hucusque vobis rescribere, quam forte induxerat horum, qui se nostri dicebant nuncii, excogitata, et inconsulta per ipsos vobis facta relacio, cum tamen de scitu nostro nichil aliud preter hoc, quod v(estre) d(ominacioni), ad priores vestras scripsimus litteras, et quod vestrum nuncium etc.

(Wladislaus II) rex (Poloniae)
ad (Annam) reginam;
de nativitate infantuli congratulatur

F. 13 v. De rege ad reginam.

Preclara princeps, consors nostra carissima. Illa dulcis nobis per Clementem, de sanitate tam vestra quam infantuli nobis a Deo dati, luculenter exposita tota cordis amaritudine expulsa, quam nobis attulerat vestre infirmitatis turbacio, letificauit mentem nostram et exultauit spiritus noster in Deo salutari nostro, ex quo nobis vestra cara persona vires resumpsit in toto pristinae sanitatis, nichil profecto amariorum nichilque tristius nobis incumbit, nisi vestri corporis debilitas, quam uique multum intensam videbamus et hec infirmitati nostre tantos langores eduxerat qui vix curari potuissent, nisi illa premissa relacio dulcissima vestre optate sanitatis et, ut consolacio inde vobis augeatur, vobis presentibus clarificandum decreuimus in toto, dante Domino, sospitatis desiderate resumpsimus plenas vires. Ideo petimus etc., quatenus pro consolacione nostra speciali, nos de sanitate vestra et infantuli vestri crebrius velitis informare etc.

Medicae, F. IV. a. f. Simonis et Iudae 1408 (sic in ms.)

(Wladislaus II) rex (Poloniae)
ad (Annam) reginam;
felicem partum augurat

F. 13 v. De eodem.

Consors nostra carissima,

F. 14 r. ex quo, Deus gracia sua visitauit nos et vos et viscera vestra fecundauit partusque vester desiderabilis appropinquat, petimus vos et salubriter inducimus, ut de beneficiis vobis ab alto concessis, grates deuotas Creatori refundatis confessionibus, crebris et sacramentorum suscepcione interioris hominis squalores renouantes, ut Deus misericors, prolem sine lesione inesse producat, graciaram plenitudine vos confirmans. Datum in Medica, feria quarta proximum ante festum sanctorum Simonis et Jude apostolorum, anno Domini millesimo quadringentesimo octavo etc.

Ignotus
ad dominam ignotam;
merita eiusdem laudat

s.l., s.d.

F. 14 r. Solliciti cuiuslibet negociatorum ad hoc summo opere desideria se extendunt, ut inuenta preciosa margaritha, bonis suis omnibus

venundatis, ipsam carissimo precio studeat comperare. Sane fama tue laudis et nomen^{a)} tue bonitatis, que plerumque in auribus nostris resonarunt, me inducunt et compellunt, ut pro aquirenda tui noticia operam darem diligentem, quam super omnium diuiciarum thesauros^{b)} elegi cariorem et reputo dulciorem; dulce melos, suaue odos cor concipit et spiritus meus refleret in gaudio, dum michi dicitur quanta luces decoris claritate, quantaque choruscas eloquencie urbanitate et annorum dulci teneritate, quid singulorum membrorum formam et dispositionem mirificam describerem, frustra attemptarem. Nam si omnium oratorum ac rethorum usque ad ultimum^{c)} sciencias cognouissem^{d)}, neque plene quibus es nature predata muneribus, enarrarem, cum tu iubar radiusque tocius pul-

f. 14 v. critudinis, vere nunccuparem omniumque feminarum decus, vite clarissime elucescit et tu exemplar omnium dominarum et ymago. In te namque, tamquam in speculo lucidissimo, tocius urbis Cracouiensis virgines et domine, hominem proprium contemplantur. Quit plura. Tu sola superegressa es uniuersas, nichil in te natura deliquit, nisi quod mortalem constituit. Sed o utinam tanti meriti, aput celsum Dominum, reputarer, ut meis possem optinere preconiiis, ut pro tui iugi memoria et perhenni te exutam ab humanis inter astra collocaret, ubi cuncta posses speculari, nulla vota tam grauia, nulla libamina tam preciosa holocausta, quibus Deum non placarem, ymmo si nece vite aut quibuslibet opibus istud possem comparare, presto essem et paratus, ne lux tanti sideris ab humana memoria inique mortis nexibus laberetur. Nec diffido, ymmo ratum teneo, quod ipse psalmator, qui tot te ab altis donis visitauit, sinu sue pietatis apprehendet et non nisi in throno sue maiestatis collocabit, tanti operis sui elegantissimam formam recensendo, presertim cum omnibus virtutum te muneribus decorauit et vestiuit, ut non modo virtutum gerula, sed et ipsa virtus recenseris. Et quis unquam plebeius, nobilis, urbanus aut cuiuscumque status homo recolit, quem tu a tuo fauore et dulcis stillicidii eloquio repulisses.

a) « nomen » bis scriptum, semel deletum.

b) hic in ms. tres litterae illegibiles deletae.

c) verba « usque ad ultimum » sunt in glossa marginali.

d) in ms. « sciencias cognouissem » repetitur in glossa marginali.

N. 37

s.l., s.d.

(*Wladislaus II rex Poloniae*)

ignoto principi

Nicolaum de Boleslavia a se missum sibique remissum iterum mittit et commendat

F. 15 r. Serenissime princeps, frater noster carissime, seriem legationum nobis per Nicolaum de Boleslauiam, utriusque nostrum militem fidelem dilectum, luculenter expositarum apprehendimus intento animo, sicque quot eundem affectum Nicolaum cum plena et certa^{a)} responsiua ad vestram remittimus, qui eandem fraternitatem vestram de nostris intencionibus plenius informabit etc.

a) in ms. verba « cum plena et » in glossa marginali.

Ignotus

ignotis

gratias ob donum muli albi aliarumque rerum agit

F. 15 r. Validi viri et amici, nobis sincere dilecti, quamvis vestra encenia, que nobis direxistis, nobis multum grata sint et accepta, sincerum tamen affectum, quem ad nos geritis, — omnibus preciosis muneribus reputauimus cariorem. Profecto ex hoc, eundem affectum vestrum maiorari ad nos conspeximus, dum eadem tam delicata encenia, nobis ex parte vestri fuerant presentata que, utique, nobis de sinceritate vestra presumpcionem fecerunt clariorem. Oblatus siquidem fuit nobis unus mulus albus, multum ellegans, cum birreto velutico nigri coloris, necnon sex canibus bene valentibus, et tribus tutellis, ac una deka, necnon azairo ^{a)} et aliquibus nobis ancipialibus ^{b)} valde pulcherimis, que tanto maiori gratitudine suscepimus quanto ipsorum elleganti

F. 15 v. dissimilitudine et quadam speciali caritate ceterorum donorum vallorem precelebant. Pro quibus, ad singularissimas et longo tempore recolendas vobis graciaram assurgimus acciones, quecumque enim in partibus nostris reperiri possent et pro vestro desiderio cedere, nos pro eis audacter, petimus, et sine rubore requiratis etc.

a) sic in ms.

b) sic in ms.

(Wladislaus II rex Poloniae)

Alexandro (Witoldo magno duci Lithuaniae)

ob dona oblata gratias agit, de felici expeditione Mosquensi congratulatur

F. 15 v. Magnifico et preclaro principi domino Alexandro etc. Illustris princeps, frater noster carissime, utinam saperet et nouissima prouideret animus noster, quibus ad graciaram acciones vobis posset assurgere debitas, pro tam magnis honoribus et valde gratis enceniis, quibus continue nos visitare consueuistis, abs dubio, intenta animaduersione, studiose requireret, qualiter se deberet ad vestra beneplacita prouidendum reddere et paratum. Nam per strenuum Nicolaum militem vestrum nobis accepta donaria destinastis, nec posset aliquis nuncius ex parte vestri occurrere, per quem nobis ^{a)} non exhiberetur vestrorum munerum adaucta pluralitas, pro quibus non quales deberemus, sed quales possumus, vobis graciaram refferimus acciones; pro quibus utique, ubicumque potencia nostra attingere possit, a nobis promptas vobis habebitis sincerissimas obsequelas, in quibus non tantum presentium munerum, quanta excellencia

F. 16 r. caritatis et sincerum affectum dirigentes, omnibus thesauris reputauimus cariora; et quamvis hec omnia nostram mentem supra modum faciant consolatam, vestri tamen corporis sanitas, quam nobis incolumem et prosperam de expeditione Mosquensi, cum omni honore reportauit Altissimus, et redduxit ad propria, nobis tantum confert solacium, quod inter mundi gaudia, delicatius et magis iocundius volumus estimare. Idem pro recreacione ^{b)} nostra specialissima, petimus de

sanitate vestra et statu felici, per vestram fraternitatem crebrius velitis informare etc.

a) in ms. « nobis » bis scriptum semel deletum.

b) sic in ms.

N. 40

Regina

s.l., s.d.

ignoto principi;

de propria erga eum innocentia protestatur

F. 16 r. Magnifice princeps, illustris domine et frater noster carissime. Certa nos quorundam monstravit relacio, quomodo ad quorundam inimicorum nostrorum delacionem, erga nos sinistre voluntatis animum gereretur. Vestram igitur studiosis affectibus deprecamur claritatem, quatenus nobis per litteras vestras aut fidelem nuncium, seriem displicenciarum, quas erga nos habetis, dignemini tamquam pie caritatis corrector declarare, quia in eo mentis nostre propositum est defixum, quod voluntatem nostram semper vestris beneplacitis volumus conformare et quod vestram numquam offendamus caritatem. Si autem nos in aliquo in posterum incorrigibilem ac culpabilem senseritis et quod innocentiam nostram non possemus expurgare, tunc

F. 16 v. presto sumus omni pene et correccioni vestris tamquam domini regis consortis nostri et fratris vestri carissimi modis omnibus subiacere. Quia non minus vestram claritatem domino nostro rege diligimus, cui etiam in omnibus tamquam ipsi domino regi volumus obedire, et mandata vestra exequi grata mente etc.

N. 41

Regina

s.l., s.d.

ignoto principi;

de propria erga eum innocentia protestatur

F. 16 v. Magnifice princeps, frater noster carissime. Certa nobis monstravit relacio, quomodo quidem zizaniarum seminatores, pacis inimici, pure caritatis aduersarii et constantes dileccionis subuersores, honori nostro detrahentes, nos coram vobis in quibusdam illicitis deferre seu accusare habuerunt. Precamur igitur vestre magnificencie claritatem, quatenus contra nos sinistre voluntatis animum gerere non velitis, nec fidem delatoribus et famam nostram contaminantibus adhibere. Si autem aliqui forent, qui nobis vellent detrahere, hos nobis petimus describatis. Si autem nos in aliquo ream^{a)} aut culpabilem senseritis, et nos innocentiam nostram non possemus expurgare, presto sumus omni pene et correccioni vestris tamquam domini regis consortis nostri et fratris vestri carissimi, modis omnibus subiacere etc.

a) in ms. « reum ».

N. 42

Ignotus princeps

s.l., s.d.

ignoto clerico;

de informationibus et donis gratias dicit deque itinere romano futuro principis Wladislai agit

F. 16 v. Reverendissime pater, amice noster. Precarum felices successus serenissimi principis domini Wladislai fratris nostri carissimi, quorum seriem nobis

F. 17 r. mediantibus relacionibus fidelium nostrorum strennui Nicolai et Petri de Banchow luculenter iudicastis, mentem nostram illam reddiderunt et inexplicabiliter consolatam, quorum utique relatio nobis fuisset gravior et dulcior, si vocis vestre presencia ipsam nobis verbaliter explicasset. Ex eo, quod pure fidei sinceritas, quam erga nos geritis, personam vestram precordiis nostris fauore speciali ligauit et inpressit, et presertim eiusdem sinceritatis nobis in eo prestantur indicia, quod encenia vestra nobis multum accepta, ad nos crebris frontibus solliti estis destinare. Predictus enim Petrus, ex parte vestri unam loricam cum casside et pixidibus nobis obtulit pro munere, pro quo vobis ad multimodas graciaram assurgimus acciones, vestram paternitatem studiosis rogitantes affectibus, quatenus nos pro eis, que vobis ad nutum cederent, et in partibus nostris reperiri possent, audacter requiratis. Porro ^{a)} legacione vestra concepta, multum celeriter ad dominum Petrum episcopum Cracoviensem nostras misimus litteras, sibi committentes, ut vobiscum sine operum ^{b)} intermissione conueniet. Domino eciam Nicolao episcopo Wladislauensi, qui tunc nobiscum fuerat, comisimus, ut ad iter Romanum cum serenissimo principe predicto domino Wladi(slao) faciendum se aptaret, ut petistis. Nichilominus vos specialiter recogitamus, ut de eodem itinere ipsius domini Wladi(slai) et ceteris euentibus nos cercius velitis informare etc.

a) in ms. duae litterae (« la »?) deletae.

b) lectio incerta.

N. 43

s.l., s.d.

(Wladislaus II rex Poloniae)

clerico (episcopo Wladislaviensi?);

ad conventum in Kalisz convocatio

F. 17 v. Principi etc. Ex litteris vestris colegimus, quomodo vestra paternitas grata mente in Kalijsz venisset, si aliquit realitatis et efficacie ex aduentu dominorum Johannis et Pauli, nuncciorum regis Bohemie, sciuisset et sensisset; de quo utique ambiguitatem non habemus, quod antequam ad tam eminentem statum veneratis, proprio motu non vigente eciam aliqua necessitate, ad partes Lithuanie et alias remotissimas partes centum aut ducenta miliaria venire non fatiscente corpore solebatis. Nunc autem, honoris altitudo vobis indicit ^{a)} segniciem et extollencia eiusdem status vestri ^{b)} vos erigit elationis in tumorem, que nullius occasionis uel excusacionis remedio poterit paliari, ita quod euidenter cognoscere poteritis vobis culpam inexcusabilem imminere. Si ergo ab ipsa absolui sathagitis, hanc penitenciam pro ipsa assumatis, primo et principaliter sub sigillo confessionis et multum secreta scientes, quod ex causis legitimis et valde arduis que nobis occurrunt pro hac uice, quarum partem vos credimus non latere, ciuitatem Opatow volumus descendere et castrum de manibus Stanislai recipere, ut futurorum dispendiorum pericula possemus euitare. Ita, quod eundo de Cracouia in Bodzaczin descendemus duorum dierum spacia, ibidem in deduc-

cionibus temporum protrahendo, iterum reddeundo ad terras Cuiaviae pausam trium dierum ibidem in C. facere decrevimus.

F. 18 r. Ideo petimus vestram fraternitatem, quatenus pro nostro aduentu apparatus ordinare faciatis. In Guzuda autem, pro tribus diebus de expensis trium dierum velitis, petimus, prouidere, ut penam, quam erga nos incurristis, facilius euadatis. Preterea scribit nobis v(estra) p(aternitas), quod Michaellem ad magistrum Cruciferorum miseratis, pro quo vobis ad singularum graciaram assurgimus acciones, ex eo, quod pro comodo nostro vigilanciam apponitis efficacem. Non ignoratis, quod rex Hungarie nobis litteras excusatorias misit, quarum copias vobis dirigimus presentibus interclusas. Insonuit eciam nobis quod exercitus Cruciferorum domine regine Dacie et exercitui ipsius succubuit, ita quod ipsa domina regina triumphum in eorum exercitu pro re certa dicitur recepisse et non ambigimus, quod vos de facto huiusmodi^{c)} nos possetis cercius informare.

a) in ms. « indicio ».

b) in ms. « vester ».

c) in ms. una littera deleta.

N. 44

(Wladislaus II rex Poloniae)

s.l., s.d.

ignoto principi

de captivatione Nicolai a Bronislaeo capitaneo ipsius conqueritur; de victoria Witoldi super ducem Moscoviae nuntiat, de unione cum Moscovia concludenda narrat

F. 18 r. Serenissime princeps, frater noster carissime. Litteris describi non poterint tot et tante iniurie, quod nobis et nostris per capitaneos vestros inferuntur. Nam capitaneus vester Bronislaus terrigenam nostrum Nicolaum innocue et sine causa detinuit et in captivitate octo diebus integris habuit et vix ad caucionem fideiussoriam strenui Clementis ipsum misit. Famulum tamen unum ipsius, cum magna inhumanitate, per alium consocium eius suspendi fecit, nec hunc suspensi consocium dimittere vult; quem^{a)} dum allocuti fuisset, ut ipsum ad caucionem fideiussoriam dimitteret, nequaquam voluit. Tandem volumus, ut idem capitaneus cum eodem captiuo venisset ad Lemburgam, ubi iusticia facta fuisset per nostros barrones, parte pro utraque. Sed idem

F. 18 v. vester capitaneus, asserebat se non audere facere coram vobis, et sic nos et nostri in iusticia semper a vestris defecimus et iniurie nobis et nostris crescunt usquequaque. Actamen, ponderata proterua eiusdem capitanei vestri e vestrorum aliorum, que nescimus, si de voluntate vestra ortum habent, eiusdem^{b)} vestris astantibus iussa nostra emisimus, ut quicumque ex vestris de Russia ad Mazouiam aut e conuerso transitum fecerint, quod eciam detineri per nostros debent, prout nostri per vestros detinentur. Verumptamen, intencionem nostram adhuc retraximus a tali proposito, quousque a vobis super hiis responsum habeamus. Quocirca vos petimus, quatenus prouidere velitis, ut nostris fiat digna et iusta equalitas, et quod nobis rescribatis celerius, si spem aliquam habere poterimus in equalitate per vos et vestros

nobis et nostris facienda; quam si habere non poterimus: illud quod diximus vestris astantibus opportune impleri mandaremus. Preterea, frater carissime, vobis delicatas et solabiles intimamus nouitates, quod diuina fauente clemencia, dominus Witoldus de inimicis suis optatam in Christo recepit victoriam, sic quot dux Mosquensis, qui cum ipso preliari voluerat, timore conclusus non valens effugere manus eiusdem domini Witoldi, ad gratiam ipsius se contulit et armis abiectis pacem cum ipso induxit et firmavit ad festum Penthecostis proximum affuturum, omniaque per predictum dominum Witholdum postulata facere et implere vota vouit et ad nostram decisionem

F. 19 r. se submisit sic, quod nos, dante Domino, in Lemburgam constituti perpetue unionis federa faciemus.

a) hic in ms. duae litterae deletae.

b) sic in ms.

N. 45

s.l., s.d.

(Wladislaus II rex Poloniae)

ignoto principi;

de iniuria Nicolao de Boleslavia illata conqueritur

F. 19 r. Serenissime princeps, frater noster carissime. Quamuis nobis^{a)} vestra, multiplicatis vicibus, scripserat fraternitas, quod hominibus nostris iniuriarum grauaminibus oppressis equalitatis et iusticie plenitudinem ministrare debuistis, interim tamen fidedignorum certa nos docuit relacio, quomodo Nicolaus de Boleslavia, subditus noster et regni nostri terrigena, per modos circumuencionis exquisitos, citatus fuit per quosdam de vestris ad causas et terminos intendendos, qui cum ad terminos eosdem exequendos, ad quoddam opidum vestrum dictum Gora se iustum senciens, intrepidus transiuisset, ex insidiis quorundam capitaneorum vestrorum, contra ipsum positis et locatis, captiuatus fuerat et detentus et demum grauamine vinculorum ad depactacionem est compulsus sic, quod per captiuitatem huiusmodi continuorum factus est in causa condemnatus. Tandem, dum tantarum iniuriarum materiam ad noticiam vestram deducere voluisset, fraternitas vestra ipsum de nouo mandauit captiuare, et ipsum fideiussoria caucione constringere. Qui ex multiplicitate grauaminum multa pericula sustulit et iacturas; primo quod depactatus est in summis pecuniarum non modicis; demum propter non paricionem ad terminos in causa, succubuit et hereditatibus propriis est priuatus. Post hoc et per vestram fraternitatem fideiussoria astrictus(est) caucione. Scimus enim, frater carissime, quod omnibus diebus vite vestre, fame vestre, gloriosam

F. 19 v. semper tenuistis claritatem, nec umquam iudiciorum vestrorum vacillabant equitates. Obquod, vestram fraternitatem studiose requirimus et rogamus, quatenus ad iusticiam et ad satisfaccionem eidem Nicolao faciendam, talem vos velit exhibere, ut fama vestri nominis honorem per magnam gloriam acquisitum non amittat, et quod iste noster subditus iusticia non frustretur aut per iniuriam opprimatur.

a) in ms. « vobis ».

(Wladislaus II rex Poloniae)

ignoto principi;

de iniuria, mercatoribus a Marco officiali illata, conqueritur

F. 19 v. Serenissime princeps, illustris frater noster carissime. Quamuis multarum conuencionum termini per nostros et vestros prelatos et barrones celebrandi constituebantur, nuper tamen conuencio valde efficax per validos viros dominos Nicolaum de Rogow et Simonem de Michow, prelatosque et barrones nostros ad celebrandum statuta fuerat, que eciam nullo subterfugio tergiuizari sperabatur, ad effectum non deuenit, licet etiam omnes^{a)} prelati et barrones nostri terminos ipsius sollicitè temptassent et ei sine occasione cuiuslibet negligencie interesse curauissent. Sic, quod nullus defectus, quantum ad consumacionem earundem conuencionum, nobis et nostris barronibus ascribi poterit autem inpingi. Sed, quia omnes defectus et grauamina nostris mercatoribus per quosdam officiales vestros et signanter per Marcum illata, in predicta conuencione sopiri et complanari debuerunt, que utique propter non consummacionem eiusdem conuencionis, non potuerunt terminari. Quocirca, vestram fraternitatem

F. 20 r. affectuose requirimus et hortamur, quatenus efficere velitis, ut mercatores nostri circa iura et consuetudines ipsorum remaneant, et quod oneribus nouorum grauaminum non turbentur. Turbari enim ceperunt federe treugarum inter nos statuto et firmato, que ante treugarum institutionem numquam aliquibus grauaminibus nouarum impositionum turbabantur etc.

a) in ms. verbum « omnes » in glossa marginali.

(Wladislaus II) rex Poloniae

ad praelatos et barones Hungariae

de conuentione in re mercatili scribit

F. 20 r. Validi nobilesque amici, nobis sincere dilecti.

Vobis constare poterit et bene constat, quomodo multarum conuencionum termini per extraneos regni^{a)} vestri, videlicet Theutonicos, Bohemos et Polonos, inter prelatos et barrones nostri regni Polonie et vestri Hungarie fuerunt constituti, quorum nullus ad effectum peruenire poterit. Sperabamusque totaliter et omnino, quod terminus conuencionis per vos statute ad effectum peruenire potuisset^{b)}, ad quem utique omnes prelati et barrones regni nostri, ad eandem conuencionem deputati, valde tempestiue venerunt, ita quod nullus nobis et ipsis, nullus penitus defectus negligencie et non comparicionis poterit imputari et asscribi. Ob quas ipsi prelati et barrones nostri, de omnibus fatigis, laboribus et expensis, non tantum perturbantur, quantum rubore pudoris molestantur ex quo, quod ipsorum comparicio semper frustratur et in nichilum reddigitur. In eadem siquidem conuencione, omnes iniuriarum et grauaminum materie, nostris mercatoribus per impositionem nouarum solucionum per quosdam officiales regni Hungarie denuo inuentarum,

F. 20 v. sopiri debuerunt, que propter defectum eiusdem conuentionis sopiri non poterant. Ideo vestram sinceritatem studiosis rogamus affectibus, quatenus fratrem nostrum carissimum dominum Sigismundum regem Hungarie ad hoc tenere et velitis inducere, ut iura et consuetudines mercatorum nostrorum integra et inuolabilia permaneant, quemadmodum ante federa treugarum inter nos et ipsum dominum regem Hungarie statutarum inconuulsa et inuolabilia permanserunt etc.

a) hic in ms. tres litterae illegibiles deletae.

b) in ms. « potuissent ».

N. 48

Ignotus

s.l., s.d.

ignoto

de dono falconum gratias dicit

F. 20 v. Magnifice domine graciose. Quod tam crebris vicibus vestram excito magnitudinem falconum desiderio bachatus^{a)}, vobis queso, non cedat in tedium, nec per hoc in mente vestra aliqua stuporis occasio generetur. Hoc enim humano semper inest affectui, hoc habet communiter ubique sibi proprium, quod in desideratis quibusque moras non patitur, ymmo celeritatem ipsam reputo tarditatem. Ad primarias quippe litteras meas, magnitudini vestre missas, eandem magnitudinem vestram michi taliter, ymmo benigniter rescripsisse recolo, quod me velletis donatio falconum beneficio reddere saciatum. Utinam iam retribuere velitis seruo vestro, in quo michi spem dedistis. Scio quidem, quod me falconibus proculdubio saciare potestis. Sed illam benigne pietatis vestre, quem erga me concepistis, ex gracia et gracioso geristis affectu, ad plenum nequeo saciari, de cuius plenitudine fontis gratissimi quanto plus haurio, tanto magis efficiar sitibundus. Nichilominus ergo, domine graciose, sicut magnitudinis vestre fama celebris alte volat, sparsim

F. 21 r. agitur, late diffunditur, totum diffusa per orbem ita, pro singulari iocunditate mentis mee, ut aliqui donacionis vestre falcones in conspectu meo alis alta scinderent aera, iam sursum, iam deorsum, iam progressiue, iam retrograde, iam alternatim, iam iugatim volitantes, ad hoc mea plurimum desideria se extendunt.

a) sic in ms.

N. 49

(Wladislaus II rex Poloniae?)

s.l., s.d.

ignoto principi

ob favores factos aliquibus suis militibus gratias dicit

F. 21 r. Serenissime princeps, frater noster carissime. Certa horum militum, qui tam exercendi milicie et adiscendis faceciis terrarum extraneorum^{a)} partes alienas soliti sunt visitare, docuit relacio, quomodo serenitas vestra ipsos nostri intuitu, quicumque se vestro presentauerit conspectui, prosequimini gratis fauoribus et benignis; pro quo s(erentati) v(estre) ad multiplices iugi tempore recolendas graciaram assurgimus acciones, et, ut vestra dileccio non senciatur ad paria vobis obligatos hunc accipitrem vestre dirigimus claritati, v(estram) s(erentatem) stu-

diosis rogantes affectibus, quatenus pro eis, que in partibus nostris vobis grata reperiri possint, nos audacter requiratis, ut affectus fauoris, quem ad nos geritis, menti vestre firmiter imprimatur etc.

a) in ms. « extranearunt ».

N. 50

s.l., s.d.

Ignotus servitor

principi suo;

de perversione scripturarum accusatus seipsum discolpat

F. 21 r. Serenissime princeps et dominorum graciosissime. Singultuosis gemitibus deploro infortunium meum et vere tedet animam meam vite mee, quod s(erenitas) v(estra) forte ad suggestionem aliquorum michi aduersancium causatur, de me, vestro fideli et deuoto seruitore, affirmans quod ego, sicut ceterorum, sic et vestras, iniqua interpretatione ad sensum alium peruerterem litteras et scripturas. Serenissime princeps, si talis essem, merito Jude traditori deberem coequari. Sed Deum, qui est cognitor

F. 21 v. cordium, michi in testem accipio, quod numquam litteras et scripturas aliquas ad alienum sensum transmutaui seu peruerti, et signanter dominacionis vestre litteras semper ad mellus interpretabar; honoremque vestrum et status vestri comodi semper totis viribus ampliaui; dominum meum, graciosum dominum regem fratrem vestrum ad hoc tenens et inducens, ut se ipsius maiestati in omnibus vestre voluntati conformaret. Et Is novit^{a)}, qui nichil ignorat, quod non minus fautor et fidelis seruitor s(erenitatis) v(estre) sum et fui et esse non desinam, quam predicti domini regis fratris vestri, cui me sacramento fidei obligavi. Habeat igitur v(estra) s(erenitas) respectum ad fidem meam, quam erga vos et statum vestrum gero et gessi; et non dignetur michi humili vestro seruitore indignari, quousque Deus omnipotens, ad cuius gratiam me remitto, de iusticia mea eadem v(estre) s(erenitati) fidem faciet plenioram etc.

a) in ms. « novis ».

N. 51

s.l., s.d.

(Wladislaus II) rex (Poloniae)

Sigismundo regi Hungariae,

diem conventus cum praelatis et baronis Hungariae indicit

F. 21 v. Serenissimo principi domino Sigismundo regi Hungarie.

Serenissime princeps, illustris frater noster carissime. Ex litteris vestris collegimus, quod firme vestre intencionis et desiderii semper fuit et est, nobiscum in fraterna caritate ac unanimi voluntate persistere; ex multis expergenciis credentes indubie nos ad similia eciam inclinari. Illum enim, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, nobis in testem accipimus, quod sincere et integre fidei puritate indesinenter optaunimus et optamus vobiscum fraterno uniri effectum et constantis fauoris nexibus federari.

F. 22 r. Quod utique ardentissima diligencia, ymmo summa auiditas, quam habuimus ad conuenciones vobiscum, vel eciam inter nostros et vestros barrones celebrandas, in nobis potest demonstrare luculenter, nec sperare possumus, quod alicuius diligencia nostram exsuperare posset in hiis factis. Ex quo easdem conuenciones diligenter temperauimus et temperari fecimus, nullas negligencias comittentes. Preterea scribit nobis vestra fraternitas, ut prelatos et barrones nostri consilii a nobis abire non sineremus, quorum tamen aliqui de loco conuencionum deputato abierunt, et aliqui a nobis ad domicilia ipsorum sunt reuersi, ita, quod difficulter ad presens possent conuenire seu eciam conuocari. Et quamuis multum ordinis necessitatibus, quas in remocioribus partibus disponere habebamus, impediti fuisset, propinquam tamen fecimus stationem loco conuencionum. Que per prelatos et barrones nostros et vestros celebrari debuit euentum ipsius in Nepolicize expectantes et ad ea, que alias in remocioribus partibus agere debeamus, volumus celeriter conuertere iter nostrum. Sed dum fraternitatis vestre littera nos peruenit, in qua concepimus, quod magnificum virum dominum Sciborium ad nos dirigitis, iter nostrum ad moram retraximus longiorem, aduentum ipsius in Nepolicize a data presencium ad feriam secundam proximam prestolantes.

N. 52

s.l. s.d.

*Sigismundus rex Hungariae
Wladislao (II) regi Poloniae;
de congressu procerum utriusque regni*

F. 22 r. Serenissimo principi, domino Wladislao regi Polonie, illustri fratri nostro carissimo. Sigismundus, Dei gracia etc. Hungarie, Dalma-cie, Croacie etc.,

F. 22 v. Sacri Romani imperii vicarius generalis et regni Bohemie gubernator, salutem et fraterne dileccionis continuum augmentum. Serenissime princeps, illustris frater noster carissime. Quemadmodum vestra fraternitas nouit, quomodo utriusque nostrum consiliiarii principes et barrones, in certo iam preterito termino, pro faciendis certis tractatibus utriusque nostrum et regnorum nostrorum utilitatem et commune bonum concernentibus ad inuicem debebant conuenire; quomodo autem ille terminus conuencionis seu placitorum predispositum non fuerit sortitus effectum; vestra cara fraternitas nos velit habere excusatos, cum hoc non provenisset ex culpa nostra. Nam nos, licet pro tunc multa ^{a)} ardua expedire habebamus, tamen pro omnibus barronibus nostris consiliiariis tam illis, qui prope metas Bascie et Boszne quam in partibus Transiluis constituti fuerant, destineramus, omnes ad terminum predictum conuocando, prout eciam iam plures ex nostris barronibus ad ipsum terminum ad antiquam villam peruenerunt et nos eciam cum consorte nostra huc ad istas partes propinquiores applicuimus ^{b)}; et cum opus fuisset, prout erat dispositum vobiscum, eo cicuius personaliter conuenire possemus. Sed quia prius quam alii nostri barrones de predictis partibus longinquis conuenire poterant, isti hic in partibus propinquieribus exeuntes, illos expectando ad sepedictum terminum venire protraxerunt; et sic, uti audiuius, vestri consiliiarii

principes et barrones ibidem diucius expectare nolentes, recesserunt. Et, quia firme nostre intencionis et desiderii semper fuit et est, ut vobiscum in fraterna caritate ac unanimi voluntate persistamus; quia indubie et

F. 23 r. ex multis expergenciis v(estram) s(erenitatem) ad similia credimus inclinari; igitur vestram caram fraternitatem sincero rogamus ex affectu, quatenus predictos vestros consiliarios ab inuicem separare, neque eos ad remotas partes permittere transire velitis, sed quatenus ipsos simul uel alicubi prope ab inuicem conseruare et permanere faceret fraternitas prelibata. Scientes a certo, quod statim cum de nostro magnifico viro Sciborio de Sciborzicze, pridem woiewoda, qui eciam ad illas partes uersus metas regni vestri ad ipsum terminum transiuerat, destinauimus, ut ad uos die, noctu, celerrime debeat properare, quem statim et sine dilacione, cum ad uos peruenerit, ad vestre serenitatis presenciam destinare, ac per eundem eedem s(erenitati) v(estre) totam voluntatem nostram volumus intimare. Nam utique, stabiliti et magni nostri desiderii existit, ut utriusque nostrum consilia, iuxta modum prius dispositum, in certo et breui deputando termino conueniant, et quod amborum nostrorum voluntates, tamquam fratrum, in unum finaliter conferantur.

a) hic in ms. quattuor litterae deletae.

b) sic in ms.

N. 53

s.l., s.d.

Wladislaus (II) rex Poloniae

proceribus Hungariae,

ut Sigismundum Hungariae regem, quem captivum detinent, liberent

F. 23 r. Wladislaus, Dei gracia rex Poloniae etc. Wenerabiles domini et magnifici, spectabiles et validi viri, amici nobis sincere dilecti. Digna ammiracione stupendaque et peregrina reputauimus noualia, que de captiuitate et detencione serenissimi principis domini Sigismundi regis Hungarie, fratris nostri carissimi, nostris auditibus verisona relacione quorundam sunt inculcata et impressa. Unum tamen est, quot stuporem huiusmodi a mente nostra auolet atque tollit, uidelicet facti ignoranciam, quia nescimus, ad quem finem et qua

F. 23 v. de causa idem frater noster per vestram sinceritatem in captiuitate et aresto detinetur. Verum quod non solum in hiis uestris partibus, sed et in aliis hoc euentualiter solet accidere, quod principes per subditos eorum, propter discrepancias et inequalitates inter ipsos hinc inde emergentes, arestis et detencionibus mancipantur, ut exinde equalitas exquiratur inter ipsos. Pro quo uestram sinceritatem ex affectu petimus studiose, quatenus eundem dominum Sigismundum regem Hungarie, a captiuitate huiusmodi, pro honore nostro ceterorumque principum et nobilium orbis terre, ac proprio uestro, dimittere velitis liberum et solutum. Si autem hoc ipsum facere nequieritis, tunc saltem ipsum in aresto honorifico tamdiu retineatis, quousque nos, cum ceteris principibus, per interposicionem parcium auditorum, id quod perpetratum^{a)}, aut inequaliter inter uos et ipsum actum est, possemus iusto moderamine coequare: ita, quod inposterum ipse uos et quemlibet uestrum in iure et honore debito conseruaret, uos sibi, tamquam prin-

cipi et domino vestro, in vere obediencie ordine obsequiosam exhibeatis voluntatem. Preterea singulariter vos petimus, quatenus nobiles et terrogenas nostros, nobiles et clientes ac cuiuscumque condicionis homines, in familiaritate eiusdem domini regis Sigismundi Hungarie, per vos arestatos et detentos, pari modo liberos velitis dimittere; qui non tantum ipsi domino Sigismundo regi Hungarie, sed et aliis regibus et principibus mundi, nec tantum in Hungaria, sed et in ceteris regnis et partibus extraneis, liberam habeant seruiendi facultatem. Quitquid autem in hiis facere decreueritis, nobis scriptis vestris beniuolam detis responsiuam.

a) In ms. vox « est » deleta.

N. 54

s.l., s.d.

*Ignotus princeps
alio principi,
ut militem captivum liberet*

F. 24 r. Serenissime princeps, frater noster carissime. Scitis bene, quod Deo placent miseraciones humane; ideo vestram fraternitatem studiosis rogamus affectibus, quatenus Johanni militi nostro ^{a)} pro quo alias vestram fraternitatem petiuimus, quem rigor carceris vestri hucusque inclusum corripuit, vestre miseracionis beniuolenciam velitis ostendere, ut eum a captiuitate sua, nostro interuentu, per uestram fraternitatem liberetur. Hoc enim, frater dilectissime nobis, ad multam cederet gratitudinem, si eundem Johannem ad instanciam alicuius alterius intenderetis dimittere, quod ipsum potius ad petitiones nostras, si stare poterit, pristinae redderetis libertati acceptam, in eo fraterne dileccionis complacenciam ostensuri.

a) In ms. « Johannem militem nostrum ».

N. 55

s.l., s.d.

*(Wladislaus II) rex (Poloniae)
ignoto proceri Hungariae;
de captiuitate regis Hungariae*

F. 24 r. Valide fidelis noster dilecte. Ex litteris ^{a)} domini Sciborii collegimus, quomodo inculcatum sibi fuerat ex quibusdam maledictis, quod nos, in malum et mortem domini regis Hungarie machinantes, pro regno Hungarie adipiscendo, labores continuos facerimus. De quo te scire volumus, et Deum nobis in testem recipimus, quod de aduersis successibus et captiuitate ipsius regis vestri cordialiter condolemus, ymmo ad liberationem eius alios principes, audita captiuitate eius, concitare volebamus, et concitauimus scriptis nostris; multasque instancias tam per litteras nostras, quam eciam per solempnes ambasiatores, prelatos et barrones regni Hungarie fecimus pro dimissione ipsius fideliter laborantes; ipsos inducentes, ut, per modum pacatorum et concordie, ipsum dimittentes pro rege et domino ipsorum tenerent et obseruarent; et si

F. 24 v. necesse fuisset, fideiussoria se pro ipso volumus obligare caucione. Qualiter ergo maledicti presumunt mendacia ipsorum erga

nos simulare, et nobis de machinatione in mortem eius falsum crimen impingere, cum tamen captiuitatem ipsius ita moleste ferimus, ut fratres nostri uterini. Nam et vos ipse deberetis vos obicere (et) ^{b)} ponere pro eo, quod pro nobis talibus mendosis et maledictis hominibus respondere; quia bene scitis, qualiter ambasiatoribus nostris, videlicet Johanni et Paulo, pro redempcione ipsius regis Hungarie comiseramus laborare; et aliis eciam, ubi nullus dolus penitus intererat. Eciam te credimus non latere, quot armatam gentem iam inceperamus aptare pro subuencione ipsius regis. Sed consiliarii nostri, de quorum eciam numero vos eratis, nobis consilium dederunt, ut pocius fauoribus, quam gwerris, pro redempcione eiusdem fratris nostri deberemus laborare. Sed quia idem prelati et barrones regni Hungarie, ut intellexistis, ad nos in Sandecz sunt venturi, ubi eciam, si phas erit, volumus ipsos petere, ut ipsum de captiuitate dimitterent; quia multo carius ipsum regnare videremus, quam nostrum et regni nostri capitalem inimicum. Nam quocienscumque litteras nostras et nuncios ad prelatos predictos regis Hungarie direximus, tociens et pluries nuncii solempnes ducis Austrie apud ipsos inueniebantur, qui eciam in maiori honore quam nostri habebantur, iam numis, iam pecuniis et fauoribus laborantes. Sed quia ita bene te, sicut ceteros regnicolas, factum urit, pro quo merito nobis prestare teneris consilia, quam quit et qualiter agere debeamus,

F. 25 r. si inimicus noster et regni nostri de regno Hungarie acceptando se voluerit ingerere; quod si adeptus fuerit in perpetuum, nos et regnum nostrum turbare non cessabit. Ideo vos petimus, ut nobis consulatis ad premissa, scientes, quod homines nostros expeditionaliter fecimus conuenire; ubi eciam, si opus fuerit, sciremus, qualiter occurrere deberemus nostro capitali inimico. Nichilominus tamquam fidelem nostrum, qui nobis infirmendis ^{c)} prestitistis, vos petimus, ut, si que oblocuciones aduersus nos producentur, ipsos vos ^{d)} pro nobis opponatis, et ad ea, que prius descripta sunt, nobis fideliter consulatis etc.

a) hic in ms. deleta vox « vestris ».

b) in ms. vox « et » omissa.

c) vix legibile, forsitan « informandis »; aliquid omissum videtur.

d) hic in ms. verbum illegibile deletum.

N. 56

s.l., s.d.

*(Wladislaus II rex Poloniae)
ignoto principi (duci Masoviae?)
de negotiis cum Cruciferis
(Fragmenta)*

F. 25 r. Frater noster carissime. Veniens dominus Johannes a magistro Cruciferorum nobis in facto iniuriarum vestrarum aliud non retulit, nisi quod Cruciferi vellent granicies vobiscum de nouo distinguere. Sed litteras, quas habent a quodam magistro ordinis ipsorum super limitationem metarum, tenent ^{a)}.

Magnifice et venerabilis domine, amice noster carissime. Antequam de promotione vestra nobis tam gratas et tam iocundas vestras fecistis intimatas, aliunde certificati sumus de exaltatione status vestri letabundes. De quo vestre serenitati congratularias nostras ^{b)} scripsimus litteras speciales, tantoque in electione vestra spiritus noster exultauit, quanto deuocius pro exaltatione vestra preces anima nostra ^{c)} obtulit

Deo omnipotenti salutari nostro. Huius enim spei gerimus fiduciam firmissimam et constantem, quot nostra conuersacio vestris beniuolentiis iugiter conformabitur, et status noster in hiis, que sunt precepta Dei iusticie et equitatis, in pacis dulcedine alterutrum dirigetur.

F. 25 v. Nec credimus, quod aliquę discrepantie caritatem inter nos conceptam deberent violare. Ex quo scripta vestra, que de promotione vestra nobis dirigitis, tam affabiliter letificauerunt interiora cordis nostri; hortamur igitur dileccionem vestram in Domino sinceriter, quatenus in pari amore, in quo pie memorie frater vester dominus Clemens magister generalis stetit nobiscum, velitis permanere, legationesque nostras vobis per dominum Nicolaum archiepiscopum et validum Petrum referendas, benigniter exaudire; et quamuis palatinum Posnaniensem ad vos cum domino Nicolao decreueramus dirigendum, ex eo tamen quod infirmitatibus occupatur, ipsum dirigere distulimus pro hac uice etc.^{d)}

... non intendunt dicentes, quot littere magistrorum ipsorum ordinis non tenentur, nisi ad vite^{e)} eorundem tempora; et ad hoc dicunt, quod dux Witholdus bene sciret, quod terre, pro quibus mouetur materia, de quarum possessione vos deprivavit, numquam ad terram Cruciferorum pertinebant. Ideo, frater carissime, uestra nobis detis consilia, quit amplius in factis uestris cum eisdem facere debeamus; qui etiam in factis iniuriarum uestrarum, in quibus eundem dominum Petrum ad ipsos miseramus, nos male contentos reddiderunt etc.

a) hic aliqua uerba omissa uidentur; sequitur transsumptum litterarum Wladislai II ad magistrum ordinis recenter electum.

b) in ms. « vras ».

c) in ms. « vra ».

d) hic terminat transsumptio. Aliquibus uerbis omissis continuantur litterae Wladislai II ad ignotum principem.

e) in ms. « ipsorum » deletum.

N. 57

s.l., s.d.

(Wladislaus II rex Poloniae)

magistro Cruciferorum;

de iniuriis conueritur; congressum in Radom indicit

F. 25 v. Domine reuerende. Litteras uestras sane concepimus, in quibus scriptum inuenimus, quomodo ob id, quod Christus ad fidem catholicam de sui propria misericordia nos uocare dignatus est, merito tota christianitas deberet exultare; dummodo eadem fides catholica, iuxta traditiones apostolicas et obseruanciam debitam ecclesie, a nobis seruaretur. Hoc ipsum per deducciones demonstrantes, quot

F. 26 r. in ipsa fide deuiauimus, quod Lithuanos et Ruthenos tuemur, gubernamus, et pro eis respondemus, in quo nullo modo credimus deuicare; quia per hoc apostolicas traditiones obseruamus, bona et homines proprie patrie defendentes. Si enim Theutunicos uestros aliquis impeteret, non supersedentes, sed ipsos defendentes toto posse; multo magis propria nostra conuenit nos pugnare. Unde enim uobis hoc, quod nobis iura nostra exercere perhibetis, que non sunt prohibita regibus christianis et principibus orbis terre. Optinentes namque regimina et principatus terrarum, provincias et gentes diuersarum possident nationum; ymmo et precedessores nostri terras

diuersas et plebes variorum rituum optinebant. Sentimus etenim, quod non propter pietatum opera hanc viam et doctrinam nobis preberetis, set ut terras et dominia nostra pro vobis usurpetis. Iterum alia ratione premissa confirmantes, asserentes nos in eo deuiare, quod fratres vestros captiuos retinemus. Miramur enim plurimum, quod ad hanc culpam nos trahitis. Vosipsum redarguit: estis enim senior in fide, nobisque exempla nouello et doctrinas prebere deberetis. Aliquos enim de vestris libertati tradimus, vos vero multos de nostris in vinculis retinetis, ipsosque durissimis laboribus angustatis, nec ipsos ad fidem catholicam assumendam admittitis; quorum nullum hucusque libertati reddistis. Quo ergo iure, seu qua ratione nostros detinetis, vestros fieri vultis liberos atque saluos? Concepistis enim relatibus et litteris, quomodo litteras diffamatorias erga vos scriberemus, vos grauius, inmerenter et minus iuste diffamantes, quod tollerare amplius non valentes, nec

F. 26 v. volentes, contra nos querimonias coram rege Andrea^{a)} et sacri imperii electoribus posuistis. De quo non miramur nec mirum esse credimus. Nam a tempore, quo ad sacram fidem catholicam reducti sumus, grauiora nobis apponitis, nosque durius diffamare non cessatis, contra nos totum orbem terrarum concitare aduertitis et curatis, renouatisque vicibus vestras diffamacones usquemodo erga nos fulminantes. Nec apparet nobis, quot hoc in augmentum catholice fidei faceretis. quia antequam fidem assumpsimus, hec nobis facta non fuerunt. Patienter enim ea ferimus et hactenus distulimus, credentes firmissime, quod ea, que in dillacione nostri nominis sunt emissa, aliquando patenter et interdum latenter, si vera et iusta fuerint, per celi Conditorum ad lucem deducuntur. Huius enim Conditoris gracia sanati sumus, fidemque catholicam libere assumpsimus; huius eciam virtus, et non alterius, operata est in nobis; hunc enim Conditorum in protectorem nostrum recepimus, et huic, qui est scrutator cordium, nos comissimus; eciam si terra aduersus nos insurgeret, nullo modo cor nostrum formidabit, nec aliquis nos a Christi caritate poterit separare. Scribitis enim, quod non plus nisi iusticiam, et quot iustum est, a nobis exquiritis, cum tamen, teste Deo, iusticie, et hiis que iusta sunt, numquam dedimus terga nostra. Dudum enim a tempore, quo christianam religionem assumpsimus, modum iusticie inter nos et vos faciente quesiuimus, ad vos interdum occulte, aliquando patenter, illustres, magnificas, solempnes ac diuersarum condicionum dignas personas, pro iusticia consequenda dirigentes; aliquando, ut et in litteris vestris scriptum est,

F. 27 r. conuenciones facientes; nullius tamen equalitatis iusticiam a vobis potuimus optinere. Quo igitur modo talia fecissemus, si iusticiam nequiuissemus attemptare, uel imitari. Postremo animum vestrum, erga nos et nostros grauius subleuatum, mollificare cupientes, ad sanctissimum patrem dominum Johannem papam, velut filius obediens, nostras petitiones direximus. A quo vos de fide nostra securare optabatis, et dum littere securitatis et precepti vobis fuissent presentate, nos et nostros, post earum exhibicionem, durius et grauius molestatis: terras nostras grauius et crebrius inuadentes, multos christianos nouellos graui nece occidistis. Securi enim esse possetis de fide nostra, si tantummodo actus eius et effectum in nobis pensaretis; quia homines nostri in terris Lithuanie existentes nos quasi ductorem sequentes, temporibus continuis sacro fonte baptismatis renascuntur, sedesque et cathedra in eisdem terris Lithuanie est erecta et multe alie

ecclesie in laudem Dei sunt dicatę; quarum aliquas vestri, inmissis ignibus, concremarunt. Nichilominus vos resistere nolimus, quia inviti cum christianis aliquas lites moueremus. Multa et enim bona persecucione paganorum hucusque fecissemus, si nulla a vobis habuissemus nocumenta. Demum nostrorum, quibus via veritatis est cognita, sano usi consilio, ad contradicendis vestris diffamacionibus contra nos et nostros productis, ad regem Romanorum et electores sacri imperii nostras litteras direximus, et ex eo, quot contenta querelarum nostrarum non sunt iniusta sed veridica, ideo in proposicione ipsorum peccasse non videmur, sencientes autem, quot grauitatis aculeum erga nos continue subleuatis,

F. 27 v. non cogitamus quit, nisi Deo, qui nos creauit et formauit, cogitaciones, intenciones et facta nostra comisimus, et comittimus, disponendum; et miramur non modicum, quomodo, antequam christianam fidem asumpsimus, de nobis maiorem confidenciam gerebatis. Nunc autem, cum christianam fidem assumpsimus maiorique dignitate prefulgemus, securitatem veniendi ad nos postulatis, cum pleniorę fidem nobis adhibere deberetis; nichilominus, ne voluntati vestre obuui videamur, ad vos, pro conducendis nunciis, Strachszonem nostrum consiliarium dirigendum decreuimus; vestris nunciis solempnibus locum in Radom, ad festum sancti Nicolai proximum, duximus assignandum etc.

a) sic in ms.

N. 58

*(Anna) regina Poloniae
ad patres (concilii Constantiensis?);
contra Cruciferos de Prussia*

s.l., s.d.

F. 27 v. Wenerandissimi patres domini et fautores carissimi. Litteras vestre paternitatis dure reprehensionis, et immoderate comminationis, in humilitate discipline, quam nobis confert dulcedo cultus catholici, beniuole recepimus; quas profecto graciosi animo tulissemus, si de fonte pietatis, et non de suggestionibus inimicorum, a vestra prodissent paterna caritate. In ammiracionemque ducimur vehementem, quod tam eminens sublimitas columpnarum catholice fidei, que ad neutram partem declinans, fixa et erecta stare deberet, per prauas inducciones, ad unam partem ducitur, et plenitudinem expergenciarum habere non dignantur. Sed quia vestri interest ex assumpte dignitatis officio nulli nocere, omnibus autem velle prodesse, ideo non sperat vestra paternitas a comuni plebicula doctrinam suscipere, vobisque det exemplum viuendi

F. 28 r. humilis status condicionis, cui in abhominacionem cederet horridam, si, absente una parte, ad sermonem dimidium quempiam deberet condempnare. Multa siquidem contra statum nostrum et consortis nostri ^{a)} carissimi, in absentia nostra poterint fulminari. Quibus confidenciam vestra paternitas prestare non deberet, donec a nobis ^{b)} aut a nostris aliquibus, realis responsiue certitudinem caperetis. Facilitas enim credulitatis, et aptitudo audiencie delatoribus accusandi, et unicuique contra innocentes ^{c)}, prestat materiam malignandi male quippe culpe; ymmo et pene grauedine, quispiam non generatur, dum iuste accusacionis ratio contra ipsum premittitur. Sed hac sarcina inno-

xius, quisque ad displicenciam hominum ducitur, dum sibi falsum crimen inpingitur, quia id, quot profert, meminisse speratur. Quis ergo locus correptionis est nostre, quam nobis dirigitur. Cum iam in duodecim annorum curriculo cum consorte nostro, illustrissimo domino Wladislao rege Polonie, diademate insignimur regali, regnique gubernacula feliciter possidemus, in quibus numquam ita grauer fuissemus reprehensi. Set ista reprehensio, ut non ambigimus, de pharetra procedit et processit dominorum de Prussia. Qui undique suis accusationibus nos deturpant, et honorem ac statum nostrum paruipendunt. Quos utique sperabamus pro augmento fidei catholice laborare et ipsius incrementis consulere. Sed iam ad occultum experimur, quod de amplitudine christiani cultus ex intimis contristantur, quod vestre paternitatis per subscripta interpretamur lucidius. Hactenus siquidem,

F. 28 v. serenissimo principe domino Wladislao rege Polonie, consorte nostro carissimo, cum gente eius Lithuanica in errore gentilitatis persistente, predicti domini Prutheni, ipsum et gentem eius magnis et inestimabilibus prosequantur fauoribus. Qui dum ad gremium orthodoxe fidei cum eadem gente Lithuanica, sacro lotus baptismate, deuenisset ipsum, et eius gentem predictam Lithuanicam neophitam, duris diuersarum molestiarum et perturbationum inuasionibus prosequi in magna austeritate inceperunt; que perturbationes nullis sermonum et scripturarum apicibus poterint explicari, ymmo si totum corpus nostrum in linguam verteretur, et omnis artus humana voce resonarent, aduc non posset tot molestias ipsorum seucie enarrare. Tanta enim cordi eorum inhesit seueritas, que in crucis Christi emulis satis foret abominabilis et horrida. Nam quam cito prefatus dominus Wladislaus rex Polonie, consors noster carissimus, ecclesias Deo dicauit et construxit, et eis que personas spirituales instituit, gentem predictam^d Lithuanicam adduxit ad baptismum, tam cito predicta Prusia Lithuaniam intrauit hostiliter, ecclesias easdem in uastam solitudinem submisso igne peruerterunt, repulsisque presbiteris et aliis necatis, gentem Lithuanicam neophitam crudeliter perimerunt, nullam misericordiam habentes in paruulis^e, nec iuuenili parcentes etati, ymmo nec virilem statum reuerbantur, sed nec uenerando senio deserebant, omnes gladiis prostrauerunt. Et quociens predictus dominus Wladislaus antedictas ecclesias reedificauit et instaurare

F. 29 r. voluit, tociens quociens ipsi terras intrantes Lithuanie, doloremque dolori adiungentes, ipsas in cremum conuerterunt, et crudelitates eorum magis ac magis in occisione neophitorum resumpserunt. Contra quos predictus dominus Wladislaus rex Polonie gladium suum non vibrauit, nec bannerium suum extendit, in terrisque eorum propria in persona^f post assumptionem fidei catholice, ne eidem cristiane religioni contraire videretur. Ipsi vero domini Cruciferi, nescimus quo ducti animo, christianos neophitas perimerunt, Szamagitas vero, crudelissimos paganos eorum dicioni subiectos, in paganissimo fouent, suisque graciis prosequuntur et servant. Quis ergo iudicare poterit, quod hec pro augmento christiane religionis fecerunt. In hiis tamen non contenti, que eidem domino Wladislao regi Polonie, et nobis, in terris Lithuanie fecerunt, iam et in regno nostro Polonie, cum quo perpetuam habent pacem, scissuram fecerunt, quendam terram Pomeranie, in nostrum dedecus, pro se usurpantes et sue subicientes dicioni. Pro qua terra ad nullius hominis iudicium nobiscum volunt se mittere. Cum

tamen nos facta eiusdem terre. et alia omnia, cum eisdem Cruciferis nobis occurencia, ad decisionem primo domini pape, demum Romano-
rum regis et vestram, ac omnium proborum dimittere prompti fuimus, et sumus usquemodo. Sed que nobis huius promptitudinis ad iusticiam utilitas, cum tamen plenitudinem eius assequi non possumus, sed contra Deum et ipsam in correptionem prauarum occasionum ab eisdem Cruciferis diriguntur. Non excandescat ergo vestra veneranda paternitas in comminationem erga nos inmeritam, de qua, suffragante nobis iusticia, formidinem non habemus, sed potius

F. 29 v. experimenta vite nostre recipiat pleniora. Et ex quo effectum emulorum nostrorum in hiis, que nobis scribitis, vestre paternitati suspecti reddimur, et forte excusationibus nostris, fidem non daretis, falsis inimicorum iusticie accusationibus fatati vestra paternitas ad terras nostras et consortis nostri carissimi, de gentilitatis errore eductas, et alias in quibus moram trahere consueuimus, aliquos fidedignos de quibus confiditis, dirigat; qui mores, conuersationem, et vitam nostram, et nostre gentis neophite conspiciant; erectionem ecclesiarum videant; institutionem episcoporum et personarum ecclesiasticarum prospiciant; cultumque christiane religionis considerent. Et si que digna reprehensionis in nobis et eadem gente nostra inuenerint, vobis deferant, quorum nos discipline et correptioni terga nostra humiliter, et de beneplacito, et non de iure, si quod in nobis velitis vindicare, volumus subicere et vestris exhortationibus beniuole subiaccere etc.

- a) in ms. « absentia » deletum.
- b) in ms. « an » deletum.
- d) in ms. « ad » deletum.
- c) sic in ms., videtur verbum ommissum esse.
- e) in ms. « peruicillis ».
- f) in ms. hic verbum videtur ommissum esse.

N. 59

s.l., s.d.

(Wladislaus II rex Poloniae)

ignoto praelato

causas suas, quas Nicolaus de Boleslawiec nuntius exposuit, coram s. Pontifice praesentandas comittit

F. 29 v. Reuerendissime pater, amice noster carissime. Pro eo, quod erga nos beniuolam geritis voluntatem, ad multiplices et iugi tempore recolendas graciaram assurgimus acciones, et utinam animus noster saperet ac nouissima prouideret, quibus v(estre) p(aternitati) posset conplacere, non obmitteret, quin ad complemenda beneplacita vestra semper se promptum redderet et paratum. Ideo vestram paternitatem petimus et rogamus, quatinus nos scriptis vestris informare velitis, que de beneplacitis facere deberemus, non dubitantes, quod omnia quecumque posse nostrum attingere poterit, mente gratuita faciemus; eandem p(aternitatem) v(estram) studiosis rogantes affectibus, quatenus nos

F. 30 r. habentes recomissos, facta nostra aput sanctissimum in Christo patrem dominum nostrum papam velitis promouere, prout v(estram) p(aternitatem) Nicolaus de Boleslauecz, decanus Cracouien-sis, nuncius noster deuotus et fidelis, de eisdem plenius informabit.

*Ignotus princeps
regi Poloniae (Wladislao II?);
de vexationibus, quas "duces Cracoviae" civibus Cracoviensibus faciunt*

F. 30 r. Serenissime princeps, frater noster carissime. Ciues vestros Cracouie, quos ducum Cracouie pocior vexare^{a)} nitebatur molestia iam vice iterata, uniuimus et displicencias ipsorum inter ipsos invicem verentes resumpto moderamine equitatis, sopiuimus; sic, quod eos amodo non vexabunt. Querulantur idem tamen duces grauissime, quod pronuncciaccio per vos nostra ipsis nollet adimpleri, durius nos mouentes, quam non reuera, non ad alterius, nisi mere ad vestram instanciam et complacenciam specialem fecimus, ut ipsa eis, iuxta exigenciam promissionum et tenore litterarum vestrarum, satis efficacium et firmarum, per vos nobis super eo datarum ipsis ducibus Cracovie tenere et implere; que si defuissent pronuncciacioni eidem faciende, nos submissemus quoquomodo. Nam si realiter impleri non deberet, multipliciter^{b)} exinde^{c)} decorare^{d)} videremur^{e)} etc.

a) in ms. « vexari ».

b) c) d) e) sic in ms.

*Ignotus
ignoto;
de conuentu baronum "utrorumque regnorum".*

F. 30 r. Magnifice domine amice noster, nobis sincere dilecte. Ex litteris vestris collegimus, quomodo serenissimus princeps dominus Nicolaus, frater noster carissimus, arduis occupatus negociis et signanter expeditioni ad Cruciferos faciende, insistens, ad conuencionem, quam statuere in octaua sancti Johannis per barrones utrorumque regnorum celebrandam, non posset venire; prout eciam ipsius fraternitas suis litteris nobis hoc ipsum intimat. Sed quia reminisci poteritis, quod predicta conuencio per prelatos

F. 30 v. et barrones nostros, ut premittitur, statuta fuit celebrari, et demum per ipsos prelatos inter nos et ipsum dominum Nicolaum alia conuencio debuit statui, quam cum ipso personaliter debuimus celebrare. Nunc autem, nulla mencio fit de conuencione per prelatos et barrones celebranda, sed de conuencione nostra, de qua nulla penitus posita fuerat certitudo; intimastisque nobis, quod ante conuencionem nostram et eiusdem domini Nicolai duobus mensibus dies et terminus eidem nobis deberet deputari, cum tamen conuencio prelatorum et baronum deberet precedere, nec nobis esset conueniens, quod tractatus de eadem conuencione prelatorum et barronum habiti deberent inmutari, et ipsa conuencio prelatorum et barronum posponi. Ideo requirimus vostram sinceritatem, quatenus nos certificare velitis, si conuencio prelatorum et barronum utroque modo per vos statuta processum habere poterit, ut prelatos et barrones nostros pro celebratione ipsius aptos et promptos habeamus etc.

(Wladislaus II rex Poloniae)

s.l., s.d.

*ignoto principi**confirmat legationem acceptam et Nicolaum de Boleslawiec mittendum promittit*

F. 30 v. Serenissime princeps frater noster carissime. Legacionem vestram serenitati nostre hiis diebus transmissam, gratanter accepimus, et benigne audiuimus, et eandem impressimus clarius menti nostre. Super eciam, qua vobis, tamquam honoris et nominis nostri intimo zelatori, graciaram debitas referimus acciones, et in breui tempore spacio s(erentati) vestre super legacionem huiusmodi per Nicolaum de Boleslauecz, familiarem nostrum fidelem dilectum, volumus plenarie respondere; ex qua responsione nostra, quitquit s(erentitas) v(estra) in premissis faciendum fuerit, poteritis clarius edocere etc.

(Wladislaus II rex Poloniae?)

s.l., s.d.

*principi (Sigismundo regi Hungariae?);
de venatione canina*

F. 30 v. Serenissime princeps, frater noster carissime. Dominus Liganza de Gora pompatica se iactitare habuit coram nobis, quod

F. 31 r. meliores et pro uenacionibus exercendis valenciores canes haberet, quam nos; sic, quod pena vallata, inter nos terminum statuimus ad probandum, cuius canes meliores et prompiciores forent, et locum venacionis nostre in Jedlna eiusdem domino Liganza prefixeramus die carnisprivii proximo preteriti et transacti. Qui quidem dominus Liganza, primo, secundo, tercio, et quarto superhabundanter vocatus, parere non curavit, et nos contumaciam ipsius accusabimus incessanter; sed, crescente contumacia, pena deberet crescere et augeri. Quocirca vestram fraternitatem studiose rogamus affectibus, quatenus nos fraterno fauore velit assistere, ut idem dominus Liganza^{a)} nobis ad satisfaccionem pene vallate compellatur; et quot vestra caritas fraternalis ipsum ad nos in Jedlna, ad carnisprivium proxime affuturum, cum canibus, quos meliores habuerit, dignetur dirigere, ut penas nobis debitas in ipso exigamus. Nam predicta non obstante contumacia, eidem domino Liganze^{b)} hunc fauorem aduc volumus exhibere, quod canes ipsius probabimus, qui si boni fuerint et valentes, ipsos racione pene nobis debite seruabimus. Si vero fuerint non valentes, ipsos sibi reddemus ipsius ad ruborem.

a) b) in ms. « Ligaza », « Ligaze ».

Wladislaus II rex Poloniae

s.l., s.d.

*principi ignoto (Sigismundo regi Hungariae?);**de victoria ducis Witoldi (in ms. "Andreae") super Ruthenos et de eiusdem foedere cum duce Mosquensi*

F. 31 r. Serenissime princeps, frater noster carissime. Firmiter assumere, et sine omni ambiguitate tenere vestra poterit fraternitas, quot successuum vestrorum prosperitas animum nostrum multipliciter exhi-

laret, et interiora cordis nostri reficit dulci plenitudine gaudiorum. Receptis siquidem literis vestris, gratissime et tenoribus ipsarum diligentissime auscultatis, in quibus dispositiones ad vota vestra cum Caplia principe Thurcorum, et Nicolao filio Thome, ac ceterorum barronum Bosznensium vobis occurrentium, nobis fraternaliter

F. 31 v. descripsistis modos iocunditatum et consolacionum, quibus ob causam vestrorum^{a)} bonorum successuum fuimus recreati, calamis describere et vobis organis ad plenum explicare non valemus. Et sicut^{b)} nobis omnia vestra prospera sunt valde gratuita, absdubio sentimus plenissime, quod euentus nostri felices vice reciproca vobis leticias speciales afferunt et adducunt. Ut ergo cerciorari de optata valitudine nostri preclareque principis domine Anne regine Polonie, consortis nostre precare, et magnificorum principum dominorum Andree et Boguslai ceterorumque fratrum nostrorum carissimorum corporum et comodi status nostri, vestra valeat fraternitas. Eedem vestre fraternitati, ante omnia, integram sospitatem et successuum prosperitatem singulorum vobis insinuamus Deo laudes. Et ad hoc pro maiori cumulo gaudiorum vestre fraterne caritati innotescat, quod predictus dux Andreas frater noster carissimus, pridie per quemdam militem Olechno nomini, capitaneum terre Lucensis, nobis habuit intimare, quomodo Deus omnipotens nobis de nostris victoriam dedit inimicis. Jam enim idem dux Andreas, cum ceteris fratribus nostris et multis armorum gentibus ad conflictum cum Ruthenis^{c)}, inimicis nostris, acies bellatorum appaerant, hostesque in duplo plures hiis, quos eiusdem ducis Andree et ceterorum fratrum nostrorum continebant exercitus, auidissime impetere aspirabant intrepidi. Quiquidem hostes, diuino fauente auspicio, timore concussi et victi terroribus quasi inermes pro refugio ad saltum

F. 32 r. ipsis tunc propinquum declinauerunt, de quo insidiis factis exercitibus predicti domini Andree et ceterorum fratrum nostrorum, pretendebant facere documenta. Sed operante Deo, hoc quod sperabant habere sibi pro auxilio et tutela, illud prestitit eis periculum et ruinam, ex quo saltus paludinosus ipsis vim bellandi abstulerat, de quo quidem saltu dum per aliam viam egredi voluissent, posite ad custodiam nostrorum exercituum insidie hos innumerabiliter prostrauerunt. Tandem dux Mosquensis, ista cernens, gratiam et pacem cepit querere a duce Andrea fratre nostro memorato, cui tamquam amico et genero suo ipse dux Andreas miseracione ductus, sue nate cepit compati pie compassionis affectu, et acies bellatorum reflectere ac arma bellancium cohibere; sic quod pace assumpta, idem dux Mosquensis, gener suus, cum venia et humilitate ad ipsum venit promittens, quod in omnibus dissensionibus, quas cum eodem duce Andrea fecerat, pacis treugas ad festum Penthecosten statuit et firmavit; et interim nos ad partes Lithuanie descendamus ad firmandam cum ipso perpetue pacis unionem. Preterea, idem dux Andreas frater noster nobis insinuavit, quomodo Cruciferi de Liwon(1)a in Plescouiensi, qui cum eodem duce Mosquensi fuerunt federati, triumphum acceperunt per conflictum, quorum aliquot milia prostrauerunt bello facto congressiuo. Hoc pro consolacione vestra vobis describimus, petentes vestram fraternitatem, ut de prosperis vestris successibus nos crebrius velit informare pro leticia nostra speciali etc.

a) in ms. « barronum » deletum.

b) in ms. « vobis » deletum.

c) in ms. « Pruthenis ».

Ignotus princeps

s.l., s.d.

*principi ignoto;**protestat se numquam per litteras, ad Zemowitum missas, treugam cum Wladislao II rege Poloniae violasse*

F. 33 r. Illustris princeps, frater noster carissime. Datur nobis intelligi, quomodo dominus Wladislaus rex Poloniae, coram vobis et ceteris principibus, nobis quandam inpingit infamiam, asserens, quod quendam nostrum nuncium nobilem, cum ^{a)} litteris nostris ad ducem Semouithum scriptis, captivasset, easdemque litteras cunctis honestis hospitibus ad ipsum venientibus contra nos producit, legit et significat manifeste; testificans, qualiter inscriptiones et treugas inter nos et ipsum factas, nos infringerimus euidenter. Et, ut in eisdem factis plenam certitudinem habeatis, vobis pro expurgacione fame nostre innocue, hoc audacter et sub firma fiducia decreuimus declarandum: quot in talibus iustissimus et omnino innocens, Altissimo adiuuante (sumus) ^{b)}, et fama nostri nominis hiis rummoribus minus iuste obfuscatur. Cum hoc pro re certa et infallibili vobis referimus et referre poterimus, quod nulle nostre litere, Semouithi misse, per eundem dominum Wladislaum regem Poloniae fuerunt intercepte. Verum est, et hoc iustificari volumus, quod multi reges et principes de uniuerso orbe ad nos, prout eciam ad ceteros reges, suas ambasiatias et legaciones dirigunt fauorosas; quibus nos, prout et ceteri principes, hoc conuenienter prohibere non possumus; et sicut ceteri principes, sic et ipse Semouithus, nobis pleris frontibus suas dudum consuevit facere intimatas; et hoc eciam, quod nobiscum cupiuit federari, consiliariis ipsius domini regis Wladislai, videlicet Simoni de Raphaelow et Nicolao de Bolechouicze, retulimus fide uera; sic, quod eiusdem littere Semouithi ad nos referuntur misse per eundem

F. 33 v. dominum regem, fore arestate et recepte, quarum tenor nobis est dubius et ignotus. Et ex hiis vestra fraternitas poterit colligere, quod treuge pacis inter nos et eundem dominum regem stabilite, per missiones litterarum eiusdem Semouithi et cuiuslibet alterius nobis factas non fuerunt violate. Profecto illud eciam non negamus, quod ad eundem Semouithum nostras legaciones direximus, que, de gracia Dei, treugas predictas inter nos et ipsum dominum regem Wladislaum contractas in nullo puncto penitus infrangebant. Habemus enim taliter inscriptas inter nos treugas pacis, quod si durantibus eisdem treuge federibus aliquae iniurie orirentur et emergerent inter nos, per has treuge huiusmodi nullomodo deberent violari, quinimmo rigore iusticie discordie singule alterutrum exorte discuti deberent et sopiri. Merito ergo ipse dominus rex Wladislaus iusticiam a nobis debuit exquirere, et non ad querimonias erga nos prorumpere. Ex quo nos, ad stabilimentum treugarum huiusmodi, et seriem litterarum super eis confectarum, semper respectum habuimus, et treugas predictas inuolabiliter tenuimus, nec ab ipsis discessimus usquemodo. Ideo frater precare, petimus vestram fraternitatem confidenter, quatenus ad credulitatem rumorum, contra nos inconuenienter eductorum, vos flecti vix sinatis; securi existentes, quod aliquialiter facta circa se non habent talia, nisi prout vobis ipsa nunc descriptimus fide pura etc.

a) in ms. sex litterae deletae.

b) lectio incerta; in ms. « ymo »?

(*Wladislaus II rex Poloniae?*)
ignoto nobili;
de litteris interceptis
(Fragmentum)

s.l., s.d.

F. 33 v. Nobilis et magnifice amice, nobis sincere dilecte. Litteras uestras sana concepimus racione, in quibus postulastis vos haberi per nos excusatos super prestolacionem, quam fecimus

F. 34 r. vestrum adventum expectantes. De quo utique, vobis egre ferre nolumus, ex quo certi reddimur et sentimus, quod negligencia talis de voluntate uestra non processit; pro eo igitur ^{a)} quod tam sincere voluntatis erga nos geritis animum, et Nicolaum, nostrum terrigenam, multis temporibus per quosdam predones raptos in captiuitate tentum, liberastis, et ad nos solutum remisistis, vobis multiplices et iugi tempore recolendas graciaram referrimus acciones. Illud eciam pro quodam speciali et multum maiori gratitudine recepimus, quod nobis tam fidem et tam notabilem amicitiam exhibetis. Ex quo a sinistris rumoribus contra famam nostram fulminatis et eductis, nos amicabiliter premunitis scribitisque nobis, quomodo fama comuni in districtu uestro perstreperante intellexissetis quasdam litteras nostras Nicolao missas a nunciis legalibus et portitoribus nostris in via receptas, eciam, quas dominus rex Arnolphus ^{b)} taliter interceptas cunctis honestis hospitibus, ut supra. Quarum igitur ipse dominus A., non requisita a nobis ^{c)} iusticia, super displicenciis, quas dicit per nos sibi factas, ad querimonias propositiones precipitauit et prorupit, at stabilimentum treugarum et seriem litterarum super eis confectarum respectum non habendo; cum tamen nos ad litteras huiusmodi respectum habuimus, ut supra.

a) lectio incerta.

b) sic in ms.

c) in ms. quattuor litterae deletae.

(*Wladislaus II rex Poloniae*)
ignoto principi (magistro Cruciferorum?)
de victoria Witoldi super ducem Mosquensem refert

s.l., s.d.

F. 34 r. Illustris frater noster carissime. Illo propicio, in cuius voluntate cuncta ^{a)} sunt posita, cuius voci omnia obediunt, cuius eciam potestas est eterna, preclaro et magnifico principi domino Alexandro alias Withowdo duci Liithuanie, unacum ceteris fratribus nostris, necnon baronibus, militibus, clientibus armorumque gentibus nostrorum exercituum, quos expediueramus contra ducem Mosquensem, votiuue prosperitatis successus applausuerunt. Sic, quod ante omnia in corporibus et personis plena sospitate pociuntur, sani et incolumes existentes. Quibus ipsa Dei pietas in strenuitate et audacia

F. 34 v. militari tantam perseueranciam prestitit, quod ad conflictum cum inimicis habendum, omni terrore posposito, viriliter aspirabant; quos dum exaduerso inimici persenserunt ita fortes in actibus et constantes in animo, magna concussi formidine, humilitati locum protinus quiesierunt, abiectisque pomparum aculeis, cum deuotis et mansuetis ueniis, ad unionem anhelare sunt compulsi. Ita ipso die sanctę Crucis,

statutis pacis et treugarum induciis, in conspectu predicti ducis Witoldi, proni cum frontibus ad terram ac prostrati, ipsi hostes et aduersarii se presentare curauerunt. Et tandem sequenti die, hoc est sabbato, ipse dux Mosquensis omnes terras, districtus, castra, fortalicia, et alia, pro quibus contencio fuerat exorta, ipso fratri nostro duci Witoldo restituit ex integro, munimentisque litterarum firmissimis ad facienda nobis et eidem duci Witowdo cum tota potencia sua contra omnes inimicos nostros subsidia opportuna se astrinxit, et ea corporaliter prestito iuramento, et osculo more Grecorum in ligno vite et signo sancte Crucis facto, in presencia et in manibus marsalcii vestri confirmauit. Qui, ut premititur, in Wilnam iam reuenit. Ipsi autem barrones, milites, clientes, lento gressu, dante Domino, in breui sunt venturi.

a) in ms. « cuncta » bis repetitur.

N. 68

Ignotus princeps
(*Wladislao II regi Poloniae?*),
ut a rancore recedat

s.l., s.d.

F. 34 v. Illustris princeps, frater noster carissime. Hec vobis ex intimis cordis nostri harum serie aperimus, quod nimia molestia animum nostrum turbabat, cum de Cracouia transiuimus. Considerantes mentem vestram rancorum pertinacia induratum, et dolenter tulimus, quod humilitatem deuotissimam et obedienciam promptissimam, quam in presencia prelatorum et barronum nostrorum et vestrorum Deo principaliter, et demum nobis, iugiter facere et complere voueratis, obliuio de tabulis vestre memorie tam subito

F. 35 r. deleuit et abrasit. Spernentes siquidem petitiones nostras et sana consilia, animose aduersitates et displicencias manifestas nobis ostenditis, videntes, sed non reducentes ad animum, quomodo nos tenerimam erga vos gerentes caritatem, ad omnia beneplacita vestra totum desiderium nostrum viscerose exponimus, et ea, que in bona voluntate a nobis per vos petuntur, benigne admittimus. Si ante nesciistis, hoc iam scire velitis, et tenaci memorie comendatis, quod non est aliquis hominum, qui mala voluntate aut per iram a nobis posset aliquid exquirere. Ideo, frater carissime, vestram dileccionem hortamur, requirimus instanter et rogamus, fideliter consulentes, ut precordia vestra amplius a rancoribus restringentes, amorem debitum obediencie fraternalis ad nos mente sincera et constanti conuertatis, sine ambiguitate hoc tenentes, quod hiis factis benivolenciam nostram, tota fide plenam, cumulabitis, et nos vobis benigniorem facietis de benigno. Nos enim animum erga vos leuigantes, offensas, quibus me preuocastis, ex corde enarramus vobis, eas in caritate Jhesu Christi remittentes, ex affectuque petentes, ut bonum et clarum habentes animum in exultacione persistatis, animo de talibus precauentes etc.

a) sic in ms.

N. 69

Ignotus princeps
(*Wladislao II regi Poloniae?*);
de amicitia protestatur

s.l., s.d.

F. 35 r. Serenissime princeps, frater noster carissime. Euge, quam suauis et iocundus sonus de candore vite vestre pertulit aures nostras.

Plurifariis enim et fidedignis relatibus, presertim ex sacro ore venerabilis in Christo patris episcopi Cracouiensis, confessoris serenissimi principis domini Wladislai ^{a)}, Dei gracia Romanorum regis, non nobis tantum sed nostratibus est compertum, vos non modo in iusticia et tranquillitate regere populos regni

F. 35 v. vestri, sed eos potissime in christiane religionis et fidei deuocione et cultura sapienter et ad vestrimet imitationem exemplario corde tenere; gloriam et nomen Christi, non solum in oris sermone, sed cordis affectu splendidis et innumeris operibus curiose et multipliciter extollentes, tum in templis et ecclesiis exstruendis, tum in sacris obsequiis ritibus et cerimoniis celebrandis, tum in infidelium persecucione et exterminio, tum aliis diuinis rebus et officiis atque operibus caritatis vero testimonio demonstrante. Facitis nempe rem sanctissimam sic viuendo, atque omni optimam optimarum; unde vobis, et anime vestre, vitam inmortalem et leticiam parabitis sempiternam. Neque multivaga fama quitquam de vobis spargere potest, aut gloriosius aut magnificencius, hoc rumore, qui de tanta re tamquam laudatissima ^{b)} vos commendat eo vos hac tanta Dei gracia diuitem nimirum et felicem, cuius in Christo, domino ac redemptore nostro, voluntas et dileccio sic recumbit. Vos igitur, sic beatus, habetis ipsum Dominum, largitorem vestrum, continuis ympnis et laudibus exaltare. Eritis enim, ut ait psalmista, tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium eius non decidet, et omnia quecumque facietis semper prosperabuntur. Et o utinam ad Christi gloriam semper progrediamini, melius prosperando in ecclesie sue pacem et tropheum, corporis et anime vestre salutem, ac regni et principatus vestri leticiam et solamen. Cum autem ipse Dominus et redemptor noster, iubeat nos proximum nostrum sicut nosmetipsos diligere, equidem huic tante deuocioni et beatitudini vestre congratulamur ex sincera et intima caritate; proindeque ad amorem et dileccionem vestri animamur non modicum et flagramur. Nichil enim amabilius Dei constat amore, nichil quod magis ad diligendum alliciat reperitur, nichil quod principes et alios mortales magis facere debeat beniuolos inuicem et amicos. Vera etenim amicitia est omnium diuinarum humanarumque rerum cum beniuolencia

F. 36 r. et caritate consensio. Sed alia quoque res accedit, que meam erga vos adauget beniuolenciam et accendit amicitiam; scilicet et confederacio, quibus prefato consanguineo nostro, Romanorum et Bohemie regi, vos stricto vinculo et sincero amore presensimus glutinari; itaque eius in adiutorium et succursum contra presentes eius aduersarios pro defensione et incremento eius dignitatis et principatus sui virigiliter ^{c)} exurgitis, et potenter sinceritatem amicitie vestre erga ipsum obsequio et opere magnanimiter demonstrantes; unde per eximiam laudem aquiritis et honorem, qui vos tam verum in illius aduersitatibus exhibetis amicum. Ceterum inter ipsum et nos, ut precipua cognacionis propinquitas, proximus affinitatis gradus, et eximius amicitie nexus intercedat, vos credimus non latere. Quare, cum deceat amicorum amicos amare, vos idcirco quo magis illius tanti tamquam ^{d)} carissimi consanguinei nostri confederatum et amicum esse cognoscimus, eo vos zelo diligimus ampliori. Racionibus itaque et confederacionibus superius memoratis, vobis gratificari beniuolo animo peroptantes, vos sincero cordis affectu precamur, quatenus in votis et desideriis vestris non velit cum plena

fiducia flagitare. Nam vobis a velle et posse cum effectu gratiari cupide et cordialiter delectabit temporibus et casibus optimis. Valet in auctione salutis, Domino nostro Ihesu Christo feliciter et longue in prosperitate successuum bonorum etc.

a) sic in ms.

b) in ms. in medio huius verbi litterae « dabil » deletae.

c) sic in ms.

d) in ms. quattuor litterae deletae.

N. 70

s.l., s.d.

(Wladislaus II) rex (Poloniae)

ignoto principi

Iaroslaum militem cum muneribus mittit

F. 36 r. Serenissime princeps, frater noster carissime. Ad hoc mentis nostre propositum ardentem disponimus, ut ea, que in deduccionibus temporum animus vestrum exhilarent et iocundum facerent, pro beneficio vestro vobis possemus ordinare. Sed quia, referente nobis strenuo Jaroslao, milite nostro fidei dilecto, ceterisque militibus regni nostri, qui in familiaritate curie vestre fraternitati fideles ex-

F. 36 v. hibeant famulatus, quomodo curas regimini vestro imminentes venacionum delectamentis et ancipacionum refrigeriis interdum soluitis et laxatis et, ut mens vestra^{a)} letis consolacionibus hilarescat et gratis petita encemiis refloreat, v(estre) s(erenitati) unum album ancipitrem pro ancipiciis, et duos ruthenicis, pro venacionibus exercendis, et unum par cirothecarum de pelle albi castoris, per strenuum Jaroslaum militem nostrum, vestre dirigimus claritati. Et quamuis ista in se sint valde modica donaria, rogamus vestram fraternitatem confidenter, ut non attendatis valorem eorundem munerum, sed sincerum affectum dirigentis ponderetis; tenentes indubie, quod ea, quecumque in partibus dominiorum nostrorum reperiri possent, et vobis pro grato cedere, illa fraternitati vestre mente gratuita vellemus destinare. Petimus ergo fraternitatem vestram, ut nos de eis, que vobis sunt placita, audacter requiratis, predicto militi Jaroslao nostro, exhibitori presencium, in premissis fidem credituam adhibentes etc.

a) in ms. « vestras ».

N. 71

(Wladislaus II rex Poloniae)

s.l., s.d.

ignoto regi

nobiles Hermanum de Cracovia et Simonem de Kachi praesentat et commendat

F. 36 v. Serenissime princeps, salutem et sincere dileccionis augmentum. Optate consolacionis spiritu recreamur indubie, cum de vestri status essentia placabilis nobis certitudo se offert, que vestri honoris et regni continenciam respicit et augmentum. Consideramus itaque confidenter, frater noster carissime, ut de statu vestro felici vestrarum interuencione litterarum precordia nostra reficere velit, quociens occurreret opportunitas nunciorum; et quia tenemus indubie, quod vobis cedit ad placitum, cum de nobis et regnis nostris noua prospera nuncian-

tur, serenitati vestre significare censuimus, quot in emissione presentium plene gaudemus beneficio prosperitatis in corpore, quemadmodum illius gratie placuit, qui salutis est Auctor et gratiam unicuique tribuit effluenter. Ceterum, serenissime princeps, frater noster carissime, nobiles viri Hermanus de Cracovia et Simon de Kachi, harum latores ad partes regnorum vestrorum, vestre serenitatis presentiam dirigentes gressus suos, nos rogarunt, ut ipsos serenitati vestre recomendare vellemus.

F. 37 r. Quorum annuentes requisicionibus, eosdem vestre serenitati propicie comendamus instantes, quatenus eisdem litteras vestri saluiconductus dignemini tribuere, causa nostri habituri pro complacencia non modica, quitquit promocionis curialitatis et boni eisdem fecerit vestra serenitas antedicta; quam in prosperitate votiva Dominus, et feliciter, conseruare dignetur prospera cuncta regens. Datum.

N. 72

*Ignotus princeps
ignoto regi*

s.l., s.d.

gratias ob donum quinque equorum agit

F. 37 r. Serenissime princeps, domine^{a)} et frater carissime. Vestre regalis celsitudinis donaria, videlicet quinque equos elegantes, nobis presentatos, gratanter recepimus; pro quibus ipsi eidem vestre serenitati multiplices agimus gratiarum acciones; et non tantum pro eorundem equorum transmissionem, verum magis vestram regiam maiestatem tantum et talem affectum amicabilem erga nos gerere cognoscentes, habundancius^{b)} hylares efficimur, et ad studiosiores vestre serenitati grates nos offerimus proniores. Et utinam nos non lateret, que vestre regali magnificencie in terris nostris forent placita, ad prosecutionem eorum et efficacitatem vellemus intendere cura diligentis etc.

a) in ms. quattuor litterae deletae.

b) in ms. duae litterae deletae.

N. 73

s.l., s.d.

*(Wladislaus II rex Poloniae)
maior domo ignoti regis*

equum dono mittit et rogat, ut dominum suum ad imperium adipiscendum incitet

F. 37 r. Amice noster carissime. Ut crebrum de nobis habeatis recordium, vobis per Johannem de Boleslauecz, nobis dilectum, aliqua enceniola, quamuis exigua, utpote unum equum dirigimus; affectantes, ut ea pro grato suscipere velitis, et accepto; et prout vestram serenitatem alias hortabamur, sic et nunc hortari non cessamus, ut predictum serenissimum principem etc., efficaciter ad hoc tenere et inducere velitis, ut pro imperio adipiscendo pro se, aut pro domino rege Hungarie, fratre nostro, operam adhibeat insigniter; ne alieni honorem ipsius subripiant. Quamuis enim, cum predicto rege Hungarie in perfecta non sumus unione, inuiti tamen videremus, quot extranei viribus ipsorum

implerentur, et labores eorum devolui deberent ad domum alienam. Hec vobis scribimus, ut maiorem sollicitudinem circa ea habeatis ex assumpte dignitatis officio, ex quo promotus estis ad officium maiordomi

F. 37 v. eiusdem domini regis, de quo utique ex intimis gratulamur, et ideo circa consilia predicti domini regis hoc iam ex debito facere tenemini, quod prius faciebatis ex benivolencia proprie libertatis. De hac autem materia predictus exhibitor presencium vestram sinceritatem plenius informabit etc.

N. 74

s.l., s.d.

Ignotus rex

(Wladislao II) regi Poloniae,

ut ad civium Cracoviensium privilegia examinanda suos nobiles mittat

F. 37 v. Magnifice domine, amice noster carissime. Prout alias multiplicatis vicibus vestre sinceritati scripsisse et intimasse meminimus de facto cuiusdam noui edicti, per vestram sinceritatem in fauorem ciuium vestrorum Cracoviensium et in graue dispendium regni nostri mercatorum editi et statuti, ut ipsum in melius conuerti fecissetis, ne ipsi pauperes nostri mercatores nostri^{a)} tam dampnosa et dispensiosa grauedine premerentur; super quo nouissime nobis vestra respondere habuit dileccio, quod factum huiusmodi circa festum sancti Martini per vestros ex una, et nostros parte ex altera, alter utrum eligendos deberet dirimi, et in statum perfectum et debitum comutari; et ut factum predictum iuste et amicabiliter sopiatur, et antiqua federa non violet, prelatorum et baronum nostrorum usi consilio, ipsum factum circa festum sancti Martini proxime affuturi, dummodo vestre placeret voluntati, animaduertimus decidendum. Et quia decisioni eiusdem facti de singulis regni nostri ciuitatibus mercatores vellent grato animo interesse, cum eorum munimentis et iuribus. Cum ex facto eiusdem ordinem debitum ad horum, qui discussioni ipsius ex utrisque partibus presidebunt, vellent memoriam reuocare, ut ipsi ex tali reuocacione ipsum factum salubrius et iustius poterint complanare; pro quo apparet nobis conueniens, quod vobis placebit, quod conuencio horum, qui ad decisionem predicti facti hinc et inde erunt eligendi, quadam ciuitate (vestra) Potrcow statuatur, ad quam propter viarum distanciam, tam vestris quam nostris mercatoribus equalis esset aditus^{b)} et accessus. Ideo vestram sinceritatem requirimus, quatenus si stare poterit in locum et diem predictos, consentire velitis, ubi nos hos infrascriptos eiusdem facti compositores vellemus dirigere et habere. Si autem locus

F. 38 r. et dies predicti vestre sinceritati displicebunt, extunc de die et loco magis congruis vestram nobis explicare velitis voluntatem. Preterea ad animum consciencie vestre petimus reuocare, ut ea, que^{c)} jus et libertatem ceterorum violant, admitti non sinatis, que illis^{d)} temporibus dum aliter inter nos facta gerebantur eciam per vos et predecessores vestros admissa non fuere, ut illa lex nature, que iubet quod placet alicui et alteri facere, inter nos seruetur inconcussa. Stabant enim eque bene sine edicto contra nostros mercatores taliter edito, ut non stant vestri ciues Cracouie ad quorum suggestionem ipsum forte

est statutum; nec esset deificum, quod aliquis per destructionem et dispendium alterius querere deberet sua lucra. Scitis, quod de vobis specialem confidentiam gerimus, nec vobis constat incognitum quomodo Nicolaus de Boleslavia factorum vestrorum aput celsitudinem nostram director fuit et est assiduus et fidelis. Quocirca serenitas vestra studiosis etc., quatenus in agendis ipsius, que ipse per litteram suam describet, talem diligenciam nostri intuitu velitis adhibere, ut sollicitudinem vestram in promocione ipsius sentire possemus efficacem, ut fidelitas et probitas vestra aput nos merito possit comendare.

a) bis « nostri ». Sic in ms.

b) in ms. « editus ».

c) d) in ms. tres litterae deletae.

N. 75

s.l., s.d.

(Wladislaus II rex Poloniae?)

ignoto regi;

de negotiis mercatorum

F. 38 r. Illustris princeps, frater noster carissime. Dum accidencium nobis in hac vita rerum euentus, seriatim euolutis ymaginibus, necnon attendente mente, pensauimus, inter alia quodam modo gaudio stupore miramur tantum et talem principem, ex tam exiguis obsequiis meritorum, et tam affectuosas, et gratuitas, graciaram tam humiliter hilariter assurgere recompensas; plus pensantes in eo tanti principis cordis nobilitatem, quod diuinus desuper, par et naturalis influxus, et excellencium morum disciplina, ad omnem instruxit bonitatem; quam eaque scriptorum ornancia, et oblate foderature preciositas, que nobis per vestre serenitatis familiarem sunt tam reuerenter exhibite, predebant. Pro quo tantum, non quas deberemus de congruo, sed quas de possibilitate

F. 38 v. vallemus, vestre regie serenitati maximas referimus graciaram acciones. Et reuera, si persone regie mirabilibus insigniis adornate virtutum, propter nimiam locorum distanciam, corporaliter seruire non possumus, delectat tamen nos utique omnes vestre serenitatis, nedum mercatores, verum familiares et nuncios fauore prosequi graciosos; et ipsos per terras, iurisdicciones, et loca, nostras et nostra, totis quibus viribus valemus promouere; reuerenter alloqui vestram serenitatem epistola, quam corporaliter affari, ut dolenter referimus, remotissima corporum distincio non permittit; iungat tamen vestre regie caritatis^{a)} epistola, quos locorum diuersitas separauit. Et, princeps illustrissime, parcat^{b)} vestre serenitatis pietas innata, si qui forsitan ignoranter a nostris fuissent vel forent molestati. Maximarum etenim gwerarum, fere modo per quadriennium protractarum, dispendiosa et continuata contencio, quam cum pluribus et potentibus principibus, contra omnem penitus iusticiam nos et ecclesiam nostram inuadentibus, sustinimus, tantamodo nos inducit et compellit, ut, qui aduersarios nostros violenter impetimus, eorum etiam mercatores et mercancias per violentiam inuadamus. Sed tamen non est per hoc nostre voluntatis intencio, vestre serenitatis mercatores et nuncios in aliquo perturbari; ymmo cum singulis nostris officialibus disposuimus eis, cum id poposcerint,

de securo et saluo conductu in nostris terris prouideri, offerentes in hac simul nostra epistola nos et viam, que valemus ad vestre serenitatis beneplacita pariter, et mandata etc.

- a) in ms. verba « regie caritatis » superscripta sunt super aliquas litteras deletas.
Lectio incerta.

b) in ms. sequitur vox « tamen » deleta et indistincte restituta.

N. 76

s.l., s.d.

*Ignotus princeps
ad ignotum cognatum principem ecclesiasticum;
de promotione eius a Gregorio XII facta congratulatur
(Fragmentum)*

F. 38 v. Serenissime princeps, consanguinee noster carissime. Affectuose recepimus, curiose perlegimus, et menti firmiter impressimus, quicquid continebant epistole per sanctissimum patrem dominum Gregorium papam duodecimum, et collegium cardinalium eius, de promotione ipsius nobis misse; quarum copias vestre dirigimus caritati. Quasquidem epistulas, plena gratitudine et summa reverencia susceptas, tenorem ipsarum frequentiori reuolucione ponderatas resumpsimus, et ex ipsis collegimus, quod iam adesse festinant tempora, quibus dampnatum scissma sopiri debeat et euelli. Unde viscerum

F. 39 r. nostrorum amara turbacio, quam nobis attulerat eiusdem perditissimi scismatis prolixitas, moderamen recepit; et caro nostra incepit gaudenter refluere. Ex quo nobis talem dedit Deus pontificem, cuius caro dudum mutata est in spiritum, cuius humilitas omnes ambitionis scrupulos conculcauit et extinxit, qui in sua electione nichil singulariter pretendi, nec quicquam dominacionis animaduertit exercere, ut infra.

N. 77

s.l., s.d.

*Ignotus princeps
ignoto regi (Wladislao II regi Poloniae?)
mortem genitoris nuntiat*

F. 39 r. Serenissime princeps et honorande, consanguinee carissime. Lugubrem casum dolende mortis quondam illustrissimi principis et excellentissimi domini genitoris nostri, cum maxima cordis amaritudine, serenitati vestre significare compellimur. Dum enim febres eum inuasissent, et interiectis spaciis aliquando remitterentur, interdumque fierent forciores, tandem pluribus ipsarum sequitis accessibus ad extremum deductus fuit, uno excepto, quod prestantissimus eiusdem honorandissimi principis intellectus, usque ad ultimum finem semper remansit incolumis. Receptis namque per eum deuotissime omnibus sacramentis ecclesie proximis hiis diebus, heu proh dolor, quam amaris singultibus mucramus, spiritum reddit Creatori. Non enim hoc insperatum et acerbissimum vulnus expectabat filiatio nostra, nec eius etas, que adhuc recens et validissima erat, nec victus inordinacio, qui

semper in eo modestissimus fuit, hunc intempestivum exitum inducere debuissent. Vixit equidem ipse recolende memorie princeps magna Dei reuerencia et veneracione suffultus, vite adeo moderatus et continens, ut vix per quempiam cogitari ^{a)} potuisset tam deuotum et sobrie vite principem, non nisi in ultimis canis vite terminis seculum hoc relinquere debuisset. Verum presidens contritis Omnipotens, cogitaciones humanas vertit ad libitum, et aduersa prosperis comiscendo, nobis fragilitatem ipsam ostendit, ut modeste fecundius fruamur, et nos aduersa non deprimant. Reliquit nobis ex-

F. 39 v. cellentissimus princeps ipse, ut mundo notum est, tot magnificas urbes, tot terras et opida, potenciam, diuicias, amicorum, ciuium et subditorum beniuolenciam et amorem. Qui eius obitus dolentissimi irrecuperabilem eundem esse videntes, eorum corda radicitus fixerunt in nobis. Reliquit quoque magnificorum et spectabilem probissimorumque virorum nobis copiam, quos virtus et militaris disciplina et exercitium longum ac omnis in dubiis rebus securitas fecit audaces; nec minus ^{b)} honorabilium ac grauium virorum comittuam, quos in scienciis peritos, et in agibilibus mundi prudentissimos et sagaces, longa experientia comprobatisimos fecit. Ita, quod, Dei gracia, veraciter dici potest, hunc nostrum statum, quacumque ex parte, omni robore firmitate vallancium. Sed quid hoc ad solamen nostrum, et quod tam prudentissimo et dulcissimo genitori nostro orbatu maneamus; non enim est nobis paciencie locus memorantibus, quanta nos semper tenerritate dilexit. Si equidem nobis egrotandum erat et ipse animo affligebatur, numquam sibi quies, donec Deus nos in sanitatem pristinam reduxisset. Numquam pater amplio rem caritatem, dulcedinem et amorem ostendit in filios. Horum recordacio et filiale debitum acerbissimis aculeis precordia nostra compungunt, ut vix unquam querelis nostris et veris eius laudibus finis esset. Verum scientes prefatum quondam dominum genitorem nostrum ad regiam maiestatem vestram singularissimam devotionem semper habuisse; tum igitur ob hoc, tum quia nobis notum est maiestatem eandem ipsum semper tenerrime dilexisse, tum quia non ambigimus vos eundem amorem ad nos, eius creaturas, favorabiliter porecturum, proposuimus eidem maiestati vestre semper revereri, et ad vos devocionem sinceramque affectionem semper habere; rogantes s(erentatem) v(estram), ut nos dignetur habere benigne et propicie recommissos, ac nos requirere confidenter, si qua possumus vobis grata, ad quos nos offerimus semper dispositos et paratos.

a) in ms. vox « posset » deleta.

b) in ms. sequuntur quinque litterae deletae.

N. 78

Wladislaus (II rex Poloniae)
ad iudices etc.;

s.l., a. 1413

fratres P. et C. (T.?) a iurisdictione communi eximit

F. 40 r. Dilacio.

Wladislaus etc. Judici, subiudici ceterisque officialibus, iudiciis g(eneralibus) ubilibet presidentibus, nostris fidelibus dilectis presentibus requirendis, graciam et omne bonum. Fideles nostri, quia P. et

C.^{a)} fratres germani arduis nostris occupati negociis, terminos, quos habent vel habituri sunt coram vobis, non possunt interesse, nec eos quouismodo atemptare, ideo mandamus vobis, quatenus ipsos in iudiciis nostris pro causis quibuscumque usque ad regressum nostrum ad instantiam cuiuslibet nulla presumatis iudicare ratione, aut eos in penis condemnare, efficientes, ne aliquid preiudicium senciant vel grauamen; aliud pro nostra gracia non facturi etc. Anno Domini M^oCCCC^oXIII.

a) vel « T ».

N. 79

Cracoviae, s.d.

Wladislaus (II rex Poloniae)

(universis);

revocat ad proprium iudicium causas Petri de C. (T.?)

F. 40 r. Wladislaus etc. Quia Petrus de C.^{a)} colloquio generali per vos proxime celebrato nulla potuit interesse ratione, nec in eo causas suas sibi motas et mouendas atemptare, ideo mandamus vobis, quatenus, si quas in absentia eius contra ipsum tulistis sententias, aut ipsum reddistis contumacem absentie sue predictae ratione, has omnino irritas decernatis et inanes, omnesque terminos ipsius et causas, quas habet coram nobis, usque ad aliud colloquium generale proximum subsequens, prorogando differratis, ne sibi seruiciorum suorum obsequia, per ipsum tunc nobis prestita, dampni occasionem videantur irrogare et inferre. Datum Cracouie.

a) vel « de T. ».

N. 80

s.l., s.d.

Wladislaus (II rex Poloniae)

(universis);

cives alicuius civitatis, quae incendium pertulit, a censibus etc. liberat

F. 40 r. Libertas.

Wladislaus etc. Significamus etc., quomodo volentes dampnis et inopie ciuium nostrorum in C.^{a)}, que per incendium ciuitatis grauiter incurrerunt, munificencia graciaram nostrarum volentes subuenire et ipsius ciuitatis B. condicionem cupientes facere meliorem, ad instantesque petitiones strennui A. Suczka etc. pro ipsis supplicanti, omnes et singulos ciues et incolas eiusdem ciuitatis a data die presencium usque ad octo annos continue se sequentes, ab omnibus censibus, dacione, contributione et quibusuis solucionibus nostris regalibus eximimus, absoluimus et tenore presencium liberamus. Vobis igitur capitaneis, burgrauiis, procuratoribus, qui pro tempore fueritis, districcius precipientes mandamus, quatenus huiusmodi census, daciones, contributiones etc., a ciuibus et incolis predictis nulla presumatis exigere ratione; graciae nostre sub optentu.

a) vel « T. ».

Wladislaus (II rex Poloniae)
(universis);

recognoscit debitum alicui P. eique oppidum C. (T.?) dat in pignus

F. 40 v. Donacio cum recognitione.

Wladislaus etc. Significamus etc., quomodo, quadam necessitate nobis ingruente, a P. ducentas marcas grossos recepimus; visis quoque ipsius multiplicibus seruciis, que maiestati nostre per multa studia exhibuit, sibi quinquaginta marcas donauimus et dedimus. In quibusquidem ducentis quinquaginta marcis, sibi castrum et opidum nostrum C.^{a)}, cum omnibus ipsorum utilitatibus, fructibus, redditibus, prouentibus, censibus, attinenciis, pertinenciis et appendiis uniuersis quomodolibet ab ipsa spectantibus obligamus; et tenore presencium obligamus per ipsum et ipsius successores legitimos habentes omnem etc., tamdiu etc. Quibus solutis etc. Volumus autem ibidem pro nobis staciones nostras solitas reseruare, quamdiu castrum et opidum predicta habuerunt in tenuta. Harum quibus datum anno etc.

a) vel « T. ».

Wladislaus (II rex Poloniae)
universis;

alicui civitati in terra Halicensi forum quotannis tenendum concedit

F. 40 v. Forum annuale.

Wladislaus etc. In nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quia tunc omnium errorum et dubiorum prudenter occurrimus dispensiis, dum gesta etatis nostre litterarum apicibus et fidedignorum testimonio perhennamus, proinde nos Wladislaus etc., significamus tenore presencium, quibus expedit uniuersis presentibus et futuris, presencium noticiam habituris, quomodo cupientes ciuitatis nostre B. condicionem facere meliorem, ad instantemque petitionem ciuium ciuitatis predictae, forum annuale in ipsa, in festo sancte M., et usque per octo dies continue se sequentes, singulis annis statuimus celebrandum perpetuis temporibus duraturis; concedentes omnibus et singulis mercatoribus, et aliis cuiuscumque condicionis hominibus, res et mercancias ipsorum cuiuscumque generis precii vel speciei fuerint, in ipsa ciuitate plenam et omnimodam potestatem vendendi, commutandi, et emendi, iuxta beneplacitum eorum voluntatis. Ita tamen, quod huiusmodi forum annuale aliis ciuitatibus nostris vicinis in nullo derogaret. Vobis igitur capitaneis, burgrauio, woiieuodis etc., ceterisque officialibus Halicensibus, qui pro tempore fueritis, districcius precipientes mandamus: quatenus omnes et singulos mercatores et alios homines, qui cum ipsorum rebus ad predictum forum accesserint, uel venire uoluerint, vendere, commutare et emere octo diebus predictis, secure et absque omni impedimento, saluis nostris iuribus regalibus, exercere permittatis, et permittere faciatis. Harum quibus etc.

Wladislaus (II rex Poloniae)

(universis);

civibus Cracoviensibus P., C. (T.?) et D. ius aurum et argentum fodendi concedit

F. 40 v. Forma mineraliorum ^{a)}

Wladislaus etc. Significamus etc., quomodo volentes thesaurorum nostrorum adaugere facultates, et regno nostro utilius providere, ut tempore nostri regiminis salubria se senciatur accepisse incrementa, et cura nostre prouisionis, multis comodis et fructibus gaudeat se fulcitur; de ingenio et sagacitate

F. 41 r. P., C. ^{b)}, D. etc., ciuium nostrorum Cracouiensium confidentes, ipsis in montibus et aliis locis, planis, paludinosis, uel alias quibuscumque in terra nostra Russie, in hereditate Humniska sitis et ubilibet in regno nostro, ubi ipsis videbitur expedire, auri et argenti mineras querere et fodere ac in auri et argenti magisterii ipsorum studio conuertere, iuribus et prouentibus nostris semper saluis, plenam et omnimodam tenore presencium concedimus facultatem; dantes et concedentes ipsis omnibus iuribus et consuetudinibus, quibus m(a)gistri mo(n)cium et minerarum scrutatores in regno Hungarie et alias ubicumque poiciuntur, utifruui et gaudere. Vobis igitur capitaneis, burgrabio, nobilibus, indigenis et incolis terrarum nostrarum, districcius precipientes mandamus, quatenus ipsos ad querendum, fodendum et operandum huiusmodi mineras, ubicumque ipsas inuenerint, libere, secure et absque omni impedimento admittatis et admitti faciatis. Si quis autem huiusmodi mandato nostro contraire presumpserit, penas in detractores et usurpatores thesaurorum nostrorum promulgari solitas, se nouerit incursum. Harum, datum, anno etc.

a) in ms. macula, vix legitur.

b) vel « T. ».

Wladislaus (II rex Poloniae)

(universis);

confirmat resignationem nobilium de Lubincza a villa Zirniki

F. 41 r. Confirmacio privilegii.

In nomine Domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Wladislaus etc. Significamus tenore presencium etc., quomodo oblata nobis peticio strenui M. et fratrum germanorum heredum de Lubincza, nostrorum fidelium, continebat, quatenus litteram resignacionis ville Zirniki coram N. de S. iudice, et P. de Fa. subiudice, generalibus terre Sandomiriensis facte, approbare, confirmare et ratificare dignaremur. Quorum quidem litterarum tenor de verbo ad verbum sequitur, et est talis: « Nos Nicolaus etc. », ad finem ingrossetur ^{b)}. Nos itaque ipsorum petitionibus, tamquam iustis et rationabilibus, benigniter acclinati, huiusmodi resignacionis litteras in omnibus ipsorum punctis, articulis, sentenciis, et clau-

sulis ratificamus, approbamus, et tenore presencium confirmamus; decernentes ipsas robur obtinere perpetue firmitatis. Harum quibus etc. Actum presentibus. Datum per manus reuerendi in Christo patris.

a) sic in ms.

N. 85

s.l., s.d.

(Rex)

*capitaneo B. aliisque officialibus
significat kmetones, ad monasterium ignotae abbatissae pertinentes,
ab exactionibus absolutos esse*

F. 41 r. Exaccionum absolucio.

Significamus etc., quomodo volentes diem extremi iudicii pietatis operibus preuenire, ad instantemque petitionem abbatisse etc., omnes et singulos kmetones et incolas villarum ad monasterium predictum pertinentes, ab omnibus et singulis: dacione, contribucione, exaccione, et quibusuis nostris regalibus solucionibus,

F. 41 v. ad unius anni decursum absoluimus, et tenore presencium liberamus; exaccionibus duntaxat auenalibus exceptis et exclusis, quos pro nobis volumus reseruare. Vobis igitur: capitaneo B., collectori exaccionum nostrarum, ceterisque officialibus nostris, districcius precipientes mandamus, quatenus ipsos, ita huiusmodi libertatem nostram consequendam ratione predictarum dacionum etc., nulla presumatis impedire ratione; gratie nostre sub optentu. Datum anno.

N. 86

s.l., s.d.

(Wladislaus II rex Poloniae)

*universis
liberum transitum « principi H., duci Russiae » dare rogat*

F. 41 v. Conductus.

Universis et singulis principibus, tam spiritualibus quam secularibus, necnon marchionibus, ducibus, langriuiis^{a)}, committibus, baronibus, nobilibus, communitatibus, rectoribus ciuitatum, et aliis ad quos presentes peruenerunt, fratribus et amicis nostris carissimis, salutem, fraterne caritatis incrementa, et votive complacencie firmitatem. Illustres, preclari, magnifici, validi, nobiles et prouidi fratres nostri carissimi et amici. Quia preclarus princeps, dominus H. dux Russiae, Lyttwanus natione, illustris frater noster carissimus, exterrarum parcium regiones pro adiscendis ipsarum faceciis et moribus, ut exinde in conspectu nostro carior appareat, de consensu et licencia nostra speciali disposuit visitare: ideo uniuersitatem vestram petimus et rogamus in desideriiis optinentes, quatenus ipsum habentes recommissum, dum ad terras, loca et dominia uestra accessit, liberum sibi transitum per ipsam et securum, intuitu nostri, benigniter concedatis et saluoconductu prouideatis et prouidere faciatis, quociens opus fuerit et necesse;

graciosissimis ipsum fauoribus prosequentes, gratissimam nobis in eo ostensuri complacencie voluntatem erga vos, et vestros, pari vicissitudine promerendam et reddendam etc.

a) sic in ms.

N. 87

s.l., s.d.

Wladislaus (II rex Poloniae)
iudicibus Cracoviae;
notarium suum N., nominat scribam et notarium in iudiciis Cracoviae

F. 41 v. Donacio notarii terrestri ad tempora vite.

Wladislaus etc. Significamus etc., quomodo, licet ad uniuersorum subditorum nostrorum comodum et profectum quodam generali studio intendamus, ad illorum tamen promocionem et status direccionem singulari affectu acclinamur, quorum merita in conspectu nostro relucent comendata. Proinde, attendentes sagacis ingenii industriam, fidei constanciam, sciencie plenitudinem, et morum venustatem, quibus N., notarius noster fidelis dilectus, coram nobis iugiter comendatur: ipsum in iudiciis nostris Cracouie terrestribus scribam et notarium ad actitandas causas litigancium statuimus

F. 42 r. ad tempora sue vite, harum serie mediante. Vobis igitur iudicibus, subiudicibus, camerariis, ceterisque officialibus iudiciis nostris Cracouie presidentibus, qui pro tempore fueritis, precipientes mandamus: quatenus predictum N., aut eius vicesgerentem ad actitandum omnes causas, facta et negocia iudiciorum Cracouie predictorum, tamquam eorum scribam et notarium legitimum, taliter ut preferatur, per nos institutum et profectum admittentes, sibi de omnibus iuribus, utilitatibus et prouentibus dicti officii, quibus Jacobus immediate et omnes alii ipsius antecessores utebantur et gaudebant, efficaciter respondeatis, et responderi faciatis, quamdiu vitam duxerit in humanis. Si quis autem iuribus suis in aliquo presumpserit derogare, indignacionem nostram grauissimam nouerit se incursum, et pena debita mulctandum. Harum quibus sigillum.

N. 88

s.l., s.d.

Wladislaus (II rex Poloniae)
ignoto R.
annuum salarium in Antiqua Sandecz concedit

F. 42 r. Prouisio salarii ad tempora vite.

Wladislaus etc. Quomodo, attendentes multa laborum onera, quibus R., per diuturna nobis famulando tempora, gratum se nostre reddidit maiestati, et multas exhibuit seruitutes, et adhuc aucto fidelitatis studio exhibere poterit; ampliores horum intuitu volentes ipsum graciaram nostrarum preuenire fauoribus, et ad nostra obsequia reddere promptiorem: sibi in et super censibus nostris, qui in Antiqua Sandecz pro

nobis colligii consueuerunt, de quinque marcis annui salarii prouidimus, et tenore presencium prouidemus, ad tempora sue vite. Vobis igitur capitaneis, burgrauis, procuratoribus, magistris ciuium, aduocato, consulibus pro tempore existentibus, et qui presentes fueritis requisitis districcius precipientes mandamus, quatenus eidem R. de quinque Hungaris^{a)} assignare debeatis; gracie nostre sub optentu etc.

a) lectio incerta.

N. 89

s.l., s.d.

*Wladislaus (II rex Poloniae)
ignoto C. (T.?)
centum marcas in villa G. donat*

F. 42 r. Donacio.

Wladislaus etc. Significamus etc., quomodo attendentes pure fidelitatis constanciam et indefessa obsequiorum merita, quibus C.^{a)} nobis complacuit etc. Sed in et super villa nostra G., in terra S. et districtu B. sita, centum marcas nummi et ponderis Polonialis etc., damus, donamus etc., per ipsum etc., habendas etc. Cum omnibus ipsius utilitatibus etc., possidendas tamdiu etc., quibus solutis etc.; omnes autem contribuciones et daciones stacionum nostrorum in ipsa villa G. pro nobis reseruamus.

a) vel « T. ».

N. 90

s.l., s.d.

*Wladislaus (II rex Poloniae)
capitaneis aliisque officialibus;
Annae, viduae castellani Woiniciensis moratorium ad annum concedit*

F. 42 r. Gracia vidualis.

F. 42 v. Wladislaus, Dei gracia etc. Fidelibus nostris dilectis, capitaneis, iudicibus, subiuicibus ceterisque officialibus, ubilibet in regno nostro iudiciis presidentibus, presentibus requirendis, graciam et omne bonum. Fideles nostri dilecti. Quia nobilis Anna, relicta Andree oliim castellani Woiniciensis, defuncto marito suo predicto, cottidianis lacrimis torquetur, et consolacionis beneficium non meretur inuenire; unde doloribus ipsius, piis visceribus compacientes, volentes ipsam post tanti merroris dispendia graciaram nostrarum beneficio preuenire, et impetum tristicie moderare, hanc sibi graciam concessimus et tenore presencium concedimus: ut nulli pro causis quibuscumque citata ad spacium unius anni teneatur respondere. Vobis igitur omnibus premissis districcius precipientes mandamus: quatenus predictam Annam in iudiciis vestris, pro causis tam magnis quam paruis, ad iusticiam cuiuslibet nulla presummatu iudicare racione. Si quid autem attemptare presumpseritis contra ipsam, idipsum ex nunc irritum decernimus et inane. Datum anno...

(Wladislaus II rex Poloniae)
officialibus Russiae;
cives oppidi Lubowla a theoloneorum solutione liberat

F. 42 v. Absolucio theoloneorum.

Universis et singulis C.^{a)} B., tenutarum procuratoribus, viceprocuratoribus, aduocatis, consulibus, passuum locorumve custodibus, et quibusuis regni nostri et terrarum Russije offic(ialibus) et subditis, eorumque vicesgerentibus, presentibus requirendis, nostris fidelibus dilectis, gratiam et omne bonum. Quia omnes homines opidum nostrum Lubowliia, noue locacionis, mansionaliter inhabitantes, ab omni theoloneorum solutione liberos et solutos reddimus, harum serie mediante, ad nostre beneplacitum voluntatis; quocirca vobis, et vestrum cuiilibet, mandamus omnino habere volentes: quatenus omnes homines, predictae ciuitatis nostre Lub(owliie) inhabitatores, cum eorum rebus et portanciis, ire libere, et sine quouis impedimento ac solutione theolonei, quocumque nomine recitentur, permittatis; quousque a nobis aliud habueritis in mandatis; aliud pro nostra gracia...

a) vel « T. ».

Wladislaus (II) rex Poloniae
universis;
ad instantiam S. et C. (T.?) villam suam in terra Lublinensi in ius Magdeburgense transfert

F. 42 v. Translacionis ville de jure Polonico in jus Thewtunicum.

In nomine Domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quia tunc errorum et dubiorum prudenter occurrimus dispendiis, dum gesta etatis nostre litterarum apicibus et fidedignorum testimonio perhennamus; proinde nos Wladislaus etc., necnon terrarum Cracoue, Sandomirie, Siradie, Culiavie, Lancicie, Lyttwaniieque princeps suppremus, Pomeranie Russyque dominus et heres. Significamus quibus expedit, uniuersis presentibus et futuris, presentem noticiam habituris: ad instantem petitionem S. de C.^{a)} villam ipsius C.^{b)}, in terra et districtu Lublinensi sitam, de jure Polonico

F. 43 r. in jus Theuthunicum, quod Magdeburgense^{c)} dicitur, transferimus perpetue duraturum; remouentes ibidem omnia iura Polonica, modos et consuetudines uniuersas, que jus Thewtunicum plerumque consueuerunt perturbare. Insuper absoluimus, eximimus, et tenore presencium liberamus, omnes et singulos scultetos, kmethones et incolas ville predictae, ab omni iuridicione et potestate omnium regni nostri palatinorum, castellanorum, iudicum, subiudicum ceterorumque officialium et ministeriorum eorundem; ut coram ipsis, uel ipsorum aliquo, pro causis tam magnis quam paruis, uidelicet: furti, homicidii, sanguinis, membrorum mutilacionis, et aliis quibuscumque enormibus successibus citati ad instantiam cuiuslibet, minime respondebunt, nec aliquas penas soluere tenentur. Sed tamen kmetones et incole ville predictae coram scolteto suo, scultetus uero coram domino aut coram nobis, dum

per nostram litteram nostro sigillo sigillatam, fuerit euocatus, si in reddenda iusticia negligens fuerit et remissus, de se querulante tenebitur respondere. In causis autem superius expressis, sculteto ville predictae iudicandi, sinandi, corrigendi, puniendi, dampnandi et plectendi^{a)} plenam et omnimodam tenore presencium concedimus facultatem; iuribus tamen nostris regalibus in omnibus semper saluis, etc. Harum... Actum...

a) vel « de T. ».

b) vel « T. ».

c) in ms. « maiburgen ».

d) in ms. « plectendum ».

N. 93

Wladislaus (II rex Poloniae)
universis;

s.l., s.d.

attestat Iohannem Nos de Dobrków villam Czyrniam in pignus tenendam obtinuisse

F. 43 r. Wladislaus, Dei gracia etc. Significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis: quomodo, sane mentis intuitu, perpendentes grate fidelitatis obsequia, et constantis fidei merita, quibus strenuus Johannes Nos dictus, de Dobrkow, fidelis noster dilectus, nobis placere meruit, et in futurum, aucto fidelitatis studio, prestancius poterit complacere; horum intuitu cupientes ipsum ampliorum graciaram nostrarum persequi fauoribus, et ad nostra obsequia continuo prompociorem^{a)}; sibi in et super villa nostra Czrnnia, in terra et districtu Bijetensi^{b)} sita, quinquaginta marcas nummi et monete Polonicaliū ad centum quinquaginta marcas, quas prius in eadem villa Cziirnia de anno Domini M^oCCCC^oXIII^o, circa festum sancti Mathie, habuit inscriptas, et litteras speciales super eisdem obtinet, addimus, adiungimus, et tenore presencium asscribimus. Quamquidem villam C. predictus Johannes tenebit, habebit, utifruetur et pacifice in omnibus ipsius utilitatibus, fructibus, censibus, redditis et proentis uniuersis possidebit tamdiu, quousque per nos uel successores nostros sibi uel successoribus suis predictae .L. marce, hac uice inscripte cum centum quinquaginta marcis prius, de anno Domini M^oCCCC^oXIII^o, circa festum sancti Mathie, ut preferitur, in eadem villa inscriptis, fuerunt persolute integraliter et ex toto; quibus solutis predicta villa ad nos et successores nostros reddibit pleno iure. Datum.

a) aliquod uerbum omissum uidetur.

b) vel Bijecensi.

N. 94

Ignotus
ignoto clerico;
de sanitate sua

s.l., s.d.

F. 43 v. Noueritis nos, optata sanitate et prosperis successibus fauente Domino, habundare et idipsum de uobis libenter sentiremus^{a)}. Postquam enim litteras uestras recepimus continentes, qualiter in uobis vigor reuertitur pristinae sanitatis, refluuit caro uestra, et spiritus exultauit dulcedine gaudiorum. Crebrius p(aternitati) v(estre) successus nostros volumus intimare, sed dum animaduertimus uos tam graui infirmitatis dispendio detineri, intimandum distulimus, ne uobis mentis tur-

bacionem feceremus; ex quo enim Origenes ex alto p(aternitatem) v(estram) primeue sanitatis gracia dignatus est visitare, jam sepius euentus nostros studebimus intimare. P(aternitatem) v(estram) Altissimus conseruet in votiuia sanitate per tempora longiora, pro solacione nostra speciali.

a) in ms. « senturemus ».

N. 95

s.l., s.d.

*Ignotus princeps
ad W. regem Romanorum;
de dilata responstone seipsum excusat*

F. 43 v. Serenissimo principi domino W., Romanorum regi, salutem et fraterne caritatis votiuia incrementa. Serenissime princeps, etc. Nouit Ille, cui nichil est incognitum, quod factis f(raternitatis) v(estre), que nobis tractanda tradidistis, integra deuocione finem vellemus imponere; cum non minus utilis status et honorum vestrorum comoda, quam propria estimamus. Sed, quia in propriis negociis hactenus finem non possumus recipere, vestris, quamuis totis desideriis affectemus, nulla volumus intendere racione; quibus, auspice Domino, nostris deductis, quorum tanto tempore conclusionem expectauimus sub grauibus laboribus et impensis, opem et operam dabimus efficacem. Ideo petimus fraternitatem vestram, quatenus negligencie, ymmo magis necessitati nostre, non velitis egre ferre, et vestris nunciis aput nos manentibus de mora imputare; quam cum propter casum infirmitatis nostre, qui nobis acciderat, sed Domino propicio, nos dereliquit, tum causa suprascripte exigencie, facere sunt coacti. F(raternitatem) ^{a)} vestram Altissimus conseruare et felicitare dignetur per tempora longiora.

a) ante litteram « F. » « p. » deletum.

N. 96

s.l., s.d.

*Ignotus princeps (Wladislaus II rex Poloniae?)
ignoto principi
de negotiis terrae Luxemburgensis scribit*

F. 43 v. Serenissimo etc., salutem et perfectam in Christi amore caritatem. Serenissime princeps, etc. Quemadmodum fraternitati vestre per N. familiarem nostrum et litteras nostras speciales de concordia inter nos et serenissimum principem etc., fratrem etc., facta intimauius et nunc presentibus intimamus, significantes, qualiter omnes displicencias, rancores et odia, que inter nos, hoste humani generis procurante, hactenus miserabiliter durauerunt, fraterne unionis concordia sopiuimus, et pacis votiuam amplectimur dulcedinem; que f(raternitati) v(estre) pro consolacione singulari duximus enodandum. Preterea informamur, qualiter f(raternitas) v(estra) terram Luceburgensem in ^{a)} .C. millibus florenorum in dote obligauit. Ne itaque, frater carissime, patrimonii vestri hereditas alienorum contractetur manibus, sed pocius heredum benignitate gubernetur, fraternitatem vestram presentibus de-

cernimus supplicare et suadere, tamquam is, qui ea debito mutue caritatis honorificencie

F. 44 r. vestre comoda astringitur providere, quatenus terram predictam serenissimo etc., cui in ipsa jus competit post vestram caritatem de manibus predictae filie etc., in eisdem .C. millibus facultatem velit reddendi concedere. Nam ipse dominus Sigismundus, in redempcione terrarum suarum ac pro persona f(raternitatis) v(estre), paratus est consentire.

a) glossa in margine dextro: « hereditatis et patrimonii vestri funiculum preclare paternitatis ».

N. 97

s.l., s.d.

Wladislaus (II rex Poloniae)

Michaeli Steno (Venetiarum duci);

de interventu in negotiis pro republica Veneta coram rege Hungariae

F. 44 r. Wladislaus, Dei gracia etc. Preclaro et magnifico domino Michaeli Steno etc., salutem et complacencie fraternitatem. Preclare etc., famosique amici nostri dilecti. Venerabilis Paulus, frater ordinis, sacre theologie professor et magister arcium, ostensor presencium, ad nostram veniens presenciam, legaciones sibi per sinceritatem vestram commissas nobis prudenter, legaliter, et discrete exposuit; tunc autem cum serenissimo principe domino etc., omnibus displicenciis, odiis et rixarum fomitibus a corde extirpatis et avvolvis, pure et sincere, fedus inter nos contraximus unionis; et cum ipso nos mutua amplectente caritatis dulcedine, terras ipsius Hungarie perlustramus, amena solacia deducentes, prout idem dominus Pa(ulus) etc. hocipsum cognovit experientia oculari, et vos de eis poterit plenius informare. Noverit eciam vestra serenitas, qualiter continua sollicitudine meditantes, ut inter serenissimum principem etc. ab una, et vos ac dominum vestrum parte ex altera, pacis possemus procurare firmitatem. Cum predicto domino Paulo etc., de viis et modis tractauimus, partes nostras volentes interponere, quomodo super eis plenius informatum, et nostra legacione onoratum, ad vos remissimus; cui in dicendis ex parte nostra fidem adhibere velit credituam, tenentes pro constanti, quod dominus Sigismundus rex etc., omnia facta, causas et negocia, que inter ipsum et vestram sinceritatem ventilantur, decisioni et manibus nostris comendavit et commisit, pollicens pronunciacioni et sentencie nostre sinceriter obedire et parere. Ideo s(inceritas) v(estra) per certos oratores vestros, plenam habentes potestatem, de voluntate et intencione vestris celeriter, et priusquam de terris Hungarie recedemus, nos informet: si facta vestra pari modo decisioni nostre ^{a)} committere intenditis; presertim dominum Paulum etc., utrum utique magne literature et sapientie pro consolatione nostra et comodo vestro speciali, in collegio aliorum vestrorum oratorum dirigatis; de fauore et obligacione tam benigna, ad que se nobis per eundem P(aulum) etc. obtulistis, s(inceritati) v(estre) multiplices referimus graciaram acciones, et prouide nos ad beneplacita et complacencia uestra offerimus, honore nostro saluo.

a) in ms. « sinceriter obedire » deleta.

(Wladislaus II rex Poloniae)
universis;
de obsidione castris M.

F. 44 v. Universis et singulis principibus tam spiritualibus quam secularibus, necnon marchionibus, ducibus, comitibus, langriuis, baronibus, proceribus, militibus, clientibus, ciuibus et aduocatibus ciuitatum, ceterisque fidedignis cuiuscumque status vel condicionis hominibus, ad quos presentes peruenerint, salutem, fraternam in Christi amore caritatem, fauorem et gratiam cum incremento omnis boni. Preclari, illustres, magnifici nobiles, strennui, famosi et prouidi fratres et amici nostri carissimi. Noueritis, quomodo stantem nobis circa obsidionem castris M. nobilem et strennum Joha(nnem), nobis dilectum, ad faciendum cum hiis, qui in castro residebant, fide digna colloquia, omni suspicione carencia et a quouis redargucionis scrupulo aliena, direximus et misimus; interea eisdem castriculis per ipsum intimantes, quatenus cum preclaro principe domino Sigismundo, rege Hungarie, fratre nostro carissimo, a festo M. tunc elapso, adhuc tribus annis continue se sequentibus) treugas pacis habuimus, firmis litterarum munimentis roboratis. Ideo fraternitates) v(estras) petimus et hortamur, quatenus presentibus plenam fidem adhibentes, si quispiam fame et honori nostris emulus, aliud quam fatemur per presentes, coram vobis retulerit, fidem sibi subtrahere velit credituam. Datum in Kijow.

(Wladislaus II rex Poloniae?)
ignoto principi;
de strenuo Za., qui legatione functus est

F. 44 v. Serenissimo principi etc. Salutem et fraternam etc. Serenissime princeps etc. Pridie strennus Za.^{a)} retulit coram nobis, qualiter fraternitas vestra, pro quibusdam legacionibus nostris contra ipsum ad indignacionem animum prouocauit, quam moleste ferens, nostre supplicauit maiestati, quatenus ipsum aput fraternitatem) v(estram) pre-textu earundem legacionum, quarum ratione indignacionem vestram se asserit incurrisse, excusare dignaremur. Sed quia a tempore conuencionis, quam fraternitas) v(estra) cum baronibus nostris nuper celebravit, iidem barones nostri nusquam adhuc coram nobis paruerunt, a quibus possemus cognoscere, qualiter in huiusmodi legacionibus nostris sit processum. Quamcito autem baronum nostrorum predictorum habere potuerimus presenciam, receptis ab ipsis informacionibus, qualiter in nostris legacionibus coram vobis processerunt, ad declarandam predicti Za. puritatem, ea, que vobis per ipsum referenda commissimus, per nostras litteras fatebimur. Ideo fraternitatem) v(estram) petimus, quatenus motum indignacionis vestre, quam erga eum concepistis, benigniter velit moderare; pro nostra complacencia speciali et fauore.

a) sic in ms. Forsitan « Zawisza »?

Henricus de Plauen, magister generalis Ordinis Teutonici universis;

Sigismundum regem Romanorum iudicem in lite cum Wladislao II rege Poloniae constituit

F. 45 r. Nos, frater Henricus de Plawen, hospitalis Sancte Marie, domus Thewtunicorum Ierosolimitani magister generalis. Significamus tenore presencium, quibus expedit uniuersis: quod cupientes ex animo dissensiones, bella et discordias euitare, ad pacem aspirare, et in quiete ac dulcedine pacis colere Auctorem; de illustrissimi principis et graciosissimi domini nostri, domini Sigismundi Romanorum regis etc. iusticia et equitate, iuriscultura, fide, prudentia et pericia, quibus multipliciter illustratur, plurimum confidentes; in ipsum, absentem tamquam presentem, nostro, ordinis, coadiutorum et subditorum nostrorum nominibus et singulis, bona fide et sine dolo, promittimus de ratho habendo, et procurabimus cum effectu, sub obligatione omnium honorum nostrorum, quod nos, totus ordo et coadiutores nostri et subditi, presens compromissum et omnia supra et infra scripta indeque secutura ratum rataque habemus et habebunt, firmiterque obseruabimus et obseruabunt; necnon, quod presens compromissum ratificabunt et approbabunt infra annum, facta pronunciacione fienda uel non facta, de alto et basso, absolute et sine dolo compromittimus; per presentes tamquam in arbitrum, arbitratorem, iudicem et amicabilem compositorem, de et super omnibus displicenciis, controuersiis, odiis, rancoribus, pactorum, stipulatorum, contractorum, pacifederum et confederacionum, iurium, liberatum et privilegiorum, cirograforum lesionibus, violacionibus ac de et super injuriis, dampnis, graniciis, diffamacionibus, detractionibusque, offensis, grauaminibus, interesse et expensis, hactenus factis et debitis per serenissimum principem dominum Wladislaum regem Polonie, coadiutores et adherentes sibi, et generaliter super omnibus et singulis actionibus, obligacionibus, iuribus, querelis, conuencionibus, petitionibus, pecuniarum summis ac questionibus quibuscumque, quomodolibet inter prefatum dominum Wladislaum etc., inclitum principem dominum Alexandrum alias Wijthowdum magnum ducem Lithwanie ac prelatos uidelicet Gneznen(sem), Wladislaiuen(sem), Poz(naniensem), Plo(censem) et Warmien(sem) episcopos, ecclesiarum ipsorum barones, terras et subditos eorundem, magnificosque dominos Joha(nnem) et Semo(vitum) Mazouie et R. dominos duces et eorum subditos ac coadiutores et adherentes eis ex una, nosque nostros ordinem et coadiutores et subditos parte ex altera, vertentes seu verti et esse sperantibus, preteritis et presentibus; dantes et concedentes eidem domino Sigismundo regi plenam potestatem: quod possit summare simpliciter et de plano, sine strepitu iudicii, lites attemptata et controuersias et causas

F. 45 v. et omnia predicta, inter nos, ordinem, subditos et coadiutores nostros ex una; et prefatos dominos: regem Polonie, prelatos, duces, barones, coadiutores et subditos suos parte ex altera; sedare iudicialiter uel extrajudicialiter; ac dictas dissensiones, displicencias et controuersias, lites, questiones et quascumque causas preteritas, vel presentes, et omnia continencia et dependencia, seu forsitan de nouo infrascripti compromisi terminorum occasione premissorum emergencia, oritura vel orta, ex eisdem per nos proponenda, audire et legitime

examinare; in et super omnibus et singulis, pro sue libitu voluntatis. quibuscumque horis uel temporibus, diebus feriatis et non feriatis, partibus presentibus uel absentibus, vocatis, tamen lite contestata vel non contestata, juris ordine et solemnitate seruatis, uel non seruatis, uerbo uel in scripto, stando uel sedendo, simul uel diuisim diffiniendo, ordinando, arbitrando, transiundo, componendo uel alias quomodolibet faciendo, prout sibi melius videbitur expedire; infra hinc et duos dies seu annos continue se sequentes. Ita tamen, quod omnes cause, que quomodolibet per ipsum dominum Sigismundum etc., hac uice, hic in Buda, possunt diffiniri et discuti, sine ulteriori dilacione decidantur, relique autem, alie difficultates et obscuritates notabiles continentur, que maiori indagine et examine indigunt, eorundem duorum annorum dumtaxat spacio durante et breuius, quo fieri potest, in Buda uel infra metas regni Hungarie per eundem dominum S(igismundum) uel alium, quem ad hoc specialiter decreuerit deputandum, terminentur. Et nisi infra terminum et locum predictum suam arbitrabilem sententiam, ordinacionem et composicionem amicabilem tulerit, compromissum huiusmodi et omnia in eo contenta uiribus non subsistant, nec ad ea uel eorum aliqua tenenda uel obseruanda astringamur, prolataque infra dictos locum et terminum corrigere, declarare et interpretari valeat, si ex eis dubietas uel obscuritas imminebit inter partes; promittentes bona fide, quod tam nos compromittentes, quam successores nostri, et ordo noster, arbitrium laudum, ordinacionum et composicionum et quitquit super premissis et quolibet premissorum idem dominus S(igismundus) rex duxerit faciendum, in perpetuum acceptabimus et acceptabunt, ratificabimus et ratificabunt, emologabimus et emologabunt, ratum et gratum habebimus et habebunt, obseruabimus et obseruabunt.

N. 101

s.l., s.d.

Ignotus

ignoto

J. ad seruitium commendat

F. 46 r. Littera promotoria ad seruicium.

Domine et amice carissime. J., exhibitorem presencium, dominacioni vestre multum sinceriter commendamus, supplicantes: quatenus ipsum uestra dileccio seruicia ad propria, uel obsequia, accipiatis, dulcius pertractando; cuius uero indigenciam, si non habueritis, extunc ad alterius honesti uiri seruicia promouere dignemini; de ipsius enim fidelitate, honesta conuersacione, et uita laudabili, uobis ceterisque aliis testimonium perhibemus per presentes. Datum in R.

N. 102

W. de K.

s.l., s.d.

ad H. in P.;

littera de fide praestanda

F. 46 r. Littera creditiva.

W. de K., amicus uester in omnibus, nobili uiro domino H., heredi in P., nostro amico dilecto. Amice dilecte. Vestram ad amicitiam Sta-

nislaum, nostrum familiarem, nostris in legacionibus duximus effectualiter transmittendum, plene ac totaliter informatum, quatenus velit eidem fidem adhibere creditivam, quod quid nostra ex parte retulerit, tamquam una vobiscum propria in persona fuerimus colocuti. Datum in D., tali die.

N. 103

*Dominus
ad ignotum;
custodiam castrorum committit*

s.l., s.d.

F. 46 r. Dominus ad burgravium scribit.

Fidelis dilecte. Mandamus tibi seriose, ut castrum nostrum diligenter custodias, et N. burgrauo nostro, nomine nostro custodire facias; nam inimici nostri, quos nolumus nominare, castra molliuntur furtive lucrari; nullam in hoc negligenciam commissurus, prout honorem tuum diligis conservare.

N. 104

*Miles
ad iudicem.
(Fragmentum)*

s.l., s.d.

F. 46 r. Milles ad iudicem.

Amice karissime. Requirimus et iniungimus vobis seriose, quatenus N., presencium ostensor(i), contra omnes, cum quibus habet acciones, iusticiam facias expeditam, ne ipsum ulterius contingat querulari de eiusdem. Datum.

N. 105

*Ignotus
ad amicum;
de terminis iudicialibus*

s.l., s.d.

F. 46 r. Dominus ad alium dominum scribit.

Amice karissime. Quia terminum, quem querere debemus cum N., herede de C.^a), quando fieri debet, certitudinaliter nescimus: quare vobis significamus per presentes, quatenus prefato certitudinaliter termino nobis sine dilacione renunciatis. Datum.

a) vel « T. ».

N. 106

*Ignotus
ad amicum;
invitatio*

s.l., s.d.

F. 46 r. Amicus ad amicum.

Amice karissime. Mox vassis presentibus titulis, nulla occasione interveniente, ad nos M., propter causas legitimas venire non recusetis. Datum.

N. 107

*Ignotus dominus
ad scultetum;*

s.l., s.d.

eum ad servitium cum lancea vocat

F. 46 r. Dominus ad scultetum.

Fidelis dilecte. Precipimus vobis omnino volentes, quatenus, mox visis presentibus, nobiscum cum una lancea in Ungar(iam) sis paratus. Datum in C. ^{a)}.

a) vel « T. ».

N. 108

*Ignotus
procuratori;
de aliquo captivo*

s.l., s.d.

F. 46 r. Dominus ad procuratorem.

F. 46 v. Fidelis noster dilecte. Comittimus tibi seriose, ut N. de tali loco, ad manus nostras captum retineas; et ipsum hoc facto, super cautionem fideiussorie sufficientis, centum videlicet sexagenas, viceversa dimittas; tamdiu, quorisque aliud a nobis habueris in mandatis, aliter non facturus.

N. 109

*Ignotus nobilis
ad nobilem;
de servitio prestando*

s.l., s.d.

F. 46 v. Nobilis ad nobilem scribit.

Amice karissime. Scire vos cupimus per presentes, quia die dominico nunc venturo coniugem nostram intendimus domum capere; ideoque rogamus vos diligenter, quatenus seruiiis causa nobis de servis quantum potestis destinatis; pro ipso namque facto volumus simili vel maiori reconpensa respondere.

N. 110

*Ignotus miles
ignoto nobili;
de aliquo in eius potestate detento*

s.l., s.d.

F. 46 v. Milles ad nobilem.

Fautor noster dilecte. Intelleximus veridice, quod N. de tali loco in vestra detinetis potestate; quare hortamur vos, fideliter persuadentes, ut nullam secum festinacionem vite sue faciatis, donec nobis culpam suam intimes litteraliter, et demonstres. Datum.

N. 111

*Ignotus comes
duci L.L.;
de debito solvendo*

s.l., s.d.

F. 46 v. Comes ad ducem scribit.

Serenissimo principii et domino, domino L.L., duci t(alis) terre, salutatione presenti tempore congruenter preaccepta. Princeps serenissime et domine magnifice. Requiro presentibus vestram serenitatem, quatenus ducentas sexagenas, iuxta obligationem vestram, pro captiuitate P. vestri militis, pro quo fideiussistis, omni postergacione posposita, et sine ulteriori impedimento, die tali persoluere dignemini; ne honori vestro per aduersarios valeat derogari; alioquin vestra promissa non putarentur solida neque firma. Datum.

N. 112

*Ignotus nobilis
ad ignotam viduam;
invitatio ad nuptias*

s.l., s.d.

F. 46 v. Quidam nobilis ad viduam.

Nobilis domina, faulrixque nostra karissima. Petimus urgentibus perobnixie rogatibus, quatenus die tali, nupciis per nos peracturis, velitis presencialiter ad nos in N. interesse; pro quo nos singulis in mandatis obligabimur famulari diligenter. Datum.

N. 113

*Ignotus miles
ignoto militi;
invitatio ad baptismum filii*

s.l., s.d.

F. 46 v. Milles militi intimat.

Nobilis domine. Mea conthoralis dilecta tali die sobolem in lucem huius mundi protulit masculinam, et grata post partum cum eadem sobole utitur corporis sospitate. Et quia vobiscum dudum affinitatis contrahere vinculum concupiui, vestram idcirco nobilitatem deprecor studiose: quatenus die tali ad baptizandum infantem apud me sitis constitutus. Ibidem continuabimur solacia, que plurimum floridam operantur etatem et corpori robur tribuunt sospitatis. Fraternalis in premissis, velud me in maioribus cupitis habere promciorem. Datum.

N. 114

*Wladislaus (II) rex Poloniae
ad quendam burgrabium;
stationem apud eum capiendam nuntiat et aedificia reparare iubet*

s.l., s.d.

F. 46 v. Rex scribit ad burgrabium.

Wladislaus, Dei gracia rex Poloniae Litwanieque princeps supremus et heres Russie etc. Fidelis noster dilecte. Quia feria quarta ipsa die sancti N., in C. ^{a)} concedente, constituemur feliciter;

F. 47 r. idcirco pro statione nostra huiusmodi necessaria pro duarum septimanarum spacio procurari disponas copiose; edificia curie nostre in suis structuris facies reparari; aliud non facturus graciae nostre sub obtentu. Datum.

a) vel « in T. ». Omissum « Deo ».

N. 115

*Ignotus dominus
ignoto nobili;
de dilatione causae*

s.l., s.d.

F. 47 r. Dominus scribit ad alium dominum.

Nobilis domine mi, metuendissime. Vestre supplicamus honestati precibus studiose, quatenus, ob seruiciorum nostrorum fidelium, dominum N. accedente, ipsum dignemini rogittare, ut loquatur cum domino M., ut causam, qua utitur inter dominum S. et inter dominum C.^{a)}, mitat ad tempus stare, quousque dominus reuertetur ex hoc tali ratione; ut non moueat ipsum de causa illa usque ad adventum domini. Datum.

a) vel « T. ».

N. 116

*Procurator
domino.
(Fragmentum)*

s.l., s.d.

F. 47 r. Procurator ad dominum scribit.

Nobilis domine graciose. Vestre nobilitati significo per presentes, quod siliginem super terminum mihi volueritis nimis^{a)} etc.

a) sic in ms.

N. 117

s.l., s.d.

*J. capitaneus
ignoto procuratori;
de statione a principe Witoldo in sua civitate facienda nuntiat omnia-
que ad hoc parare iubet*

F. 47 r. Capitaneus ad procuratorem.

J. capitaneus talis N. procuratori tali. Fidelis noster dilecte. De aduentu Witoldi, nostri principis, inteleximus distincte nobis per litteram; et ut nobis refertur, multitudo cum eo pergit variorum hospitem; et in Ff. ciuitate moram faciet principalem. Quare districte tibi demandamus, nostris quatenus vassis litteris, tua cura diligenti adhibita, singula suphicienter procurare necessaria debeas; ut, cum advenerit princeps sua cum curia, quod suphicienter eis et decenter in presencia hospitem, tam in victualibus expensis et in equorum pabulis digerinis per te valeant procurari. Datum.

*Miles
militi
assignat terminum*

s.l., s.d.

F. 47 r. Milles assignat terminum altero militi.

Amice karissime. Noveritis, quod in causa, que vertitur inter vos parte ab una, et per dominum N. parte ab altera, nobis et dicto N. terminum prefigo, tali die coram nobis in C.^{a)}; et unicuique volumus providere de iusticie complemento; quod si secus feceris, scitote quod ego eidem providebo utique de remedio oportuno. Datum.

a) vel « T. ».

*Ignotus
ad ignotum;
rogat, ut censuali suo iustitia sit facta*

s.l., s.d.

F. 47 r. Forma pro complemento iusticie.

Amice fidelis. Noveris, qualiter noviter scripsi iam tibi, pro quodam censuali nostro; ut eidem complementum iusticie faceres incontinen-ter; quod adhuc audio non esse expeditum. Quamobrem rogo te presentibus seriose, quatenus iam sine dilacione et protractione ulteriori, prefato censuali nostro, de predictis finaliter finem imponere non recuses; cum termina tamen inter nostros et vestros censuales diu protrahi non deberent, pro quo etc. tibi, negocio expedito, gratias refferre non cessabo. Datum.

*Miles
ad dominam K. uxorem C. (T.?) de S.
de hastiludio*

s.l., s.d.

F. 47 v. Milles scribit ad dominam.

Honeste virtuoseque domine K., conthorali domini C.^{a)}, heredi de S. Pronitate serviendi sincerit(er) preniti mandatorum in genere quolibet efficaciter comprobanda. Virtuosa domina, fautrix mea precipua. Cum secundum status mundani defluxum fore censeatur sic veraciter mundano, quod status solercia sanitatis confortant; robora pristinam habet in multorum exequi cupientes corporibus^{b)}; die tali proclamare iussimus in civitate C.^{c)} hastiludii curiam. Quare rogamus vos presentibus perobnix, quatenus vestra dignetur virtuositas interesse; nam non ambigimus, ymo re vera scimus, vestra quod presencia plurimis varia tripudia generabit. Pro quo etc. Datum.

a) vel « T. ».

b) sic in ms., sensus vix conspicitur.

c) vel « T. ».

Consules civitatis C. (T.?) *s.l., s.d.*
palatino J. de C. (T.?),
ut stationem curiae regiae in eorum civitate breviorē facere studeat

F. 47 v. Ciues scribunt ad palatinum.

Magnifico viro domino J. de C.^{a)}, domino nostro gracioso. Consules ciuitatis C.^{b)}, vestri seruitores in omnibus. Strenueque, domine noster graciose. Nuper serenissimus rex dominus W(ladislauus), dominus noster graciosus, nobis regalibus maiestatis suae dedit in mandatis: quatenus necessaria pro felici statione sua in N. ipso die sancti C.^{c)} confessoris et sequentibus facienda, uel ad duarum spacium septimanarum ordinaremus copiosa. Et vestram non latet dominacionem, omnia victualia humanam naturam concernencia, pariter et equorum pabula, nostro in districtu propter ipsorum defectum multum in caro foro consistere. Idcirca vestram dominacionem petimus, quatenus serenissimum regem inducere velitis, suae celsitudinis consiliari(i) sufragio mediante, ut tam prolixam in defectuoso districtu stationem dignaretur non facere; pro quo pauperum oraciones vestra pro sanitate reportabitis sedulas et deuotas. Datum.

a), b), c): vel « T. ».

Iohannes de C. (T.?) *s.l., a. 1406*
universis;
ad pecuniam solvendam se obligat

F. 47 v. Forma obligatoria.

Ego Iohannes de C.^{a)} presencium tenore recognosco uniuersis presentibus et futuris, me nobili viro domino S., heredi de C.^{b)}, in centum marcis grossorum Pragensium debitorie obligari; quas quidem .C. marcas eidem domino N. presentibus promitto bona fide ad festum sancti Michaelis proxime venturum soluere cum effectu; quod si non fecero, quod absit, extunc memoratus N., aut sui successores legitimi, eandem pecuniam super dampnis nostris inter christianos aut iudeos debent conquirere; mea aut meorum successorum contradiccione non obstante. Datum tali die, anno Domini milesimo CCCC^o VI^o, meo sub sigillo; presentibus nobilibus viris A., B., C., D. rogatibus ibidem ad premissa.

a) vel « de T. ».

b) vel « de T. ».

Nicolaus aliique consules civitatis Wladi(slaviensis) *s.l., s.d.*
universis;
de venditione domus

F. 47 v. Privilegium vendicionis domus.

Nos Nicolaus dictus O., aduocatus P. dictus M., R. dictus S. etc., scabini uel consules ciuitatis Wladi(slaviensis), profitemur quibus expedit uniuersis presencium noticiam habituris;

F. 48 r. quod constitutus coram nos personaliter providus vir M. dictus P., conciuus noster, mente et corpore existens incolumis ^{a)}, non compulsus, sed libere sue vocis viue oraculo publice est confessus provido viro N. dicto C. ^{b)} de P. domum suam cum area in platea Sancti R. inter domos C. ^{c)} dicti D. et J. dicti M., conciuum nostrorum, sitam, contigue se vendidisse cum effectu pro .C. marcis Polonicalibus monete usualis in terra Pollonie currentis, minuta pecunia duntaxat excepta. Quarum quidem .C. marcarum .XL. marcas ad festum sancti P. proxime venturum, quadraginta vero marcas ad festum natiuitatis Domini etiam venturum proxime, et residuas viginti marcas ad festum Purificacionis beate Marie proxime venturum prefatus N. de P. dicto M. se soluere obligavit cum effectu et astrixit: quod si non faceret, extunc pro quolibet trium terminorum predictorum termino neglecto, eidem M. decem marcas tenebitur soluere cum effectu. In quarum omnium euidentiam pleniorum sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum et datum, firmatum etc. sub anno Natiuitatis CCC^o III ^{d)}.

a) in glossa supra lineam « sanus ».

b) c) vel « T. ».

d) sic in ms.

N. 124

Ignota

s.l., s.d.

ad sororem;

ad nuptias filiae invitata

F. 48 r. Soror ad sororem.

Dileccione premissa iugiter sororali. Soror omnium karissima. Clemencia Saluatoris annuente, Katherinam filiam meam Petro heredi de C. ^{a)} noviter in coniugem desponsauit, eidemque nuptias prima dominica post festum sancti Michaelis proxime venturi certitudinaliter proposuit celebrare. Quare supplico dileccioni vestre cordintime, quatenus ad nuptias pretuitas venire nullatenus obmitatis; ubi nobilibus cum plurimis solacia habebimus iocunda atque gaudiosa. Facitis veluti complacenciam in similli, vel in maiori, gliiscitis a me retinere. Datum.

a) vel « de T. ».

N. 125

Ignotus

s.l., s.d.

ad ignotum,

ut fratrem suum ad rectorem scholae promoveat

F. 48 r. Littera promotoria ad seruicium.

Amice et fautor mi specialis. Intellexi, quod rectorem scole vestre ad annum proxime venturum vellitis aliquatenus remittere sed quia M. de K., utpote bene meritus et uirtuosus frater meus, suphicienter et bene valet sufferre lineam regiminis vestre scole; unde amicicie vestre supplico studio quo possim ampliori, quatenus ipsum M. in rectorem scole vestre, ad annum proxime futurum, ponere velitis et preficere graciose; nisi enim scirem ipsum fore in suphiciencia ad officium illud, aures vestras ullatenus auderem impulsare. Quod si feceritis, vobis in via ultralibet obuiabo. Datum.

*Frater
ad fratrem;
patre defuncto domum venire vocat*

F. 48 r. Frater ad studentem.

Studio viro P., fratri sibi adamando, dilectione pretuita sincerius fraternali. Magis arduis instantibus minus ardua

F. 48 v. tenentur sepius posttergari. Frater mi; itaque, diligende, iuxta diuinam voluntatem, noster genitor karissimus carnis viam uniuerse in festo beati C.^{a)} pacifice subintrauit. Idcirco karitatem rogito fraternalem, quatenus omni mora seposita domum visitares celerius; ubi hominum iuxta existimacionem pariter et tradiciones bona paterna diuorciabimus uniuersa. Hoc operare prout nostra bona gliscimus conseruare. Datum.

a) vel « T. ».

*Frater
ad fratrem;
domum redire promittit*

F. 48 v. Studens ad fratrem.

Prouido viro C.^{a)}, cui in L., fratri sibi precordialissimo. Frater itaque karissime et dilecte. Auscultata litterali serie de decessu de paterno, planxi molestius, ymo semimortus existi pro dolore. Cum igitur superest oportunitate articulus, licet baccalariato examine accedere postulabam, postposito examine iam narrato, domum tuam ad presenciam, quid primum uolueris, visitabo; inibi nobis proficua disponemus pariter et honesta.

a) vel « T. ».

*Filiaster
ad patrum;
de hereditate paterna*

F. 48 v. Filiaster ad patrum.

Strenuo viro C.^{a)}, heredi in Ff., patruo et uiro diligendo, premissa sincerius karitate. Cuiuslibet interest regendo propria bona manus non comiscere alienis. Informatus quidem veridico de relatu, decedente patre meo karissimo, cuncta bona fore tuam ad possessionem penitus deuoluta. Cum igitur ad me, tamquam ad heredem legitimum patrimonium dinoscitur pertinere, tuam dilectionem hortor precibus consultis, ut amplius possessiones meas non ascriberes tuo dominio; alioquin te invito et exigam forma iuris. In hiis faciendo, veluti pacem diligentes mutuam pariter et honorem.

a) vel « T. ».

N. 129

Patruus

s.l., s.d.

ad filiastrum;

bona paterna restituere promittit

F. 48 v. Rescriptum huius patruui.

Viro scienciarum floribus adornato, filiastro meo karissimo, speciali amicitia sinceriter predirecta. Amice dilecte mihi. Fortuna, amore patruali cordintime pregustato, prudenter refert non omnibus adhibere fidem protinus credituam. Quis itaque auctor nequicie, meam inculpauit innocenciam? Etenim tuo genitore, fratreque karissimo felicius occubente, nisi pretexissem bona singula, laniata fuissent manibus alienis. Cum igitur magis fauor, quam liuor, deceret mihi gratuite inpertiri, peto diffectis rogatibus, quatenus ab omni noxa me haberes excusatum; tuo enim in adventu, cuncta bona tibi, tamquam legitimo successori, resignabo.

N. 130

Ignotus

s.l., s.d.

laborioso viro in K.;

rogat, ut sibi mansionem securam inueniat

F. 48 v. Amicus ad amicum.

Laborioso viro in K., meo amico speciali. Speciali amicitia sinceriter predirecta. Amice dilecte. Mihi fortuna iucundius aridente, dominus meus ceterique mei pariter et vicini

F. 49 r. mihi proponunt insidias, inferentes bonis meis dispendia, ut frequenter. Quapropter tuam fauorabilitatem rogo studiose, quatenus in tuo mihi confinio plus securam mansionem inuenies; ad quam necessitate in ^{a)} saltu precurrende valeam meis cum parvulis fugere, corpore cum salubro; pro quo conabor similem reddere recompensum. Datum.

a) in ms. vox « tantum » deleta.

N. 131

Ignotus

s.l., s.d.

domino in M.

(Fragmentum)

F. 49 r. Rescriptum huius.

Honesto viro domino in M. Amicabili karitate sinceriter preconcepta.

N. 132

Rector (K.)

s.l., s.d.

ad P. rectorem scholarum in S.;

de studente Petro, qui de furto suspicitur

F. 49 r. Rector ad rectorem.

Studioso viro P., rectori scolarum in S., meo fautori speciali; affectu prenarrato prius cum amore. Vir studiose. Petrus qualitatis proceree,

formosus facie, crispus crinibus flauis, mea in scola comorando facie blandiciis opem dissimulans, duas longas tunicas, unam nigram, alteram viridi coloris vi etc. penitus asportavit. Quare vestram subtilitatem precibus rogitto cum sinceritate, quatenus nequam de preffato vestris in scolis pariter in ceteris vobis adiacentibus remaneret, dignemini, ipsum reperientes, nobis celerius intimetis. Pro quo vestre studiositati reddere conabor congruam recompensam.

N. 133

s.l., s.d.

Rector (P.)

ad K. rectorem scholarum in S.;
de eodem studente

F. 49 r. Rescriptum huius.

Ingenioso viro K., rectori scholarum in S., fautori meo speciali. Sinceritate ultronea iugiter predirecta. Doctrinalis vir. Nequicia nequit occultari alicubi, quin signis non esset cognita aliquibus. Ante sex quippe septimanarum spacium Petrus crispus, pariter et formosus, nostra in scola manssionem operans, mensa opulenti, vestitu decoro, incessu superbo gaudebat. Dietenus mirabar, unde sibi tanta librorum copia, vestium et nummorum afflueret. Verum tantum vestre subtilitatis conspectis litteris de Petro prefato, suspicando res, detinui libros cum ceteris, vestram ingenuositatem affectius exhortando, quatenus absque omni protractione temporis, meam ad presenciam gressus vestros dirigatis, libros iam narratos conspicientes cum rebus. Non tantum in hiis, verumtamen in pluribus vobis cupio complacere.

N. 134

s.l., s.d.

Ignoti (consules civitatis)

consulibus alterius civitatis
civem, qui se transferre desiderat, commendant

F. 49 r. Littera conseruacionis.

Complacenciam in omnibus amicalem. Quia N. ciuis noster, incola, presencium exhibitor, pl(n)gwioris fortune ob spem habitacionis sue loco permutato, vestre ciuitatis conciuus fieri desiderat; unde nobis per ipsum peticio oblata pertinebat, quatenus conseruacionis sue honeste litteras sibi concedere dignaremur; nos vero, dicti N. iustis precibus et rationi

F. 49 v. consonis benignius acclinati, ipsum uniuersitati vestre propensius comendamus; supplicantes cum et pro eo, quatenus dum ad locum ciuitatis vestre pervenerit, ipsum in conciuem ciuitatis vestre suscipere et susceptum fauorabiliter velit pertractare. De ipsius enim bona fama, laudabili vita, conuersacioneque honesta, quantum humana fragilitas nos edocuit, presentibus testimonium laudabile perhibemus. Datum.

*Iudex et communitas civitatis
magistro civium et consulibus alterius civitatis
communem expeditionem contra latrones proponunt*

F. 49 v. Ciues ad ciues scribunt.

Prudentibus viris, N. magistro ciuium atque consulibus talis ciuitatis. Complacencia seruii prouius prelegata. Prudentes viri nostrique fautores precipui. In C.^a) tali sillwa, prout relatus docet plurimorum, multi predonum congregati sunt, homines mortificantes, crudelius spoliantes. Cum igitur commune bonum amare tenemur, ipsum defendendo, vestre prudencie supplicamus nimium exhortantes, quatenus nobis propiciare dignemini die in crastino beati Johannis in tali campo, ubi congregati manu cum valida prefatos vispillatores captiuabimus, uel eosdem loco de precinto repellemus. Hoc operamini, prout diuinitus atque humanitus mercedem gliscitis obtinere. Iudex totaque communitas ciuitatis.

a) vel « T. »

*Iudex et consules civitatis
iudici et communitati civitatis S.;
rescriptum ad praecedentem*

F. 49 v. Rescriptum huius.

Circumspectis viris, iudici, totique communitati ciuitatis S. Sinceritate ultronea iugiter preascripta. Sagaces viri nostrique amici speciales. Litteratenus prout nobis intimastis depreca(n)tes, .XXX.ta cum galeatis glisci(m)us succurrere loco et die preaffixis. Preterea vestram deprecamur prudenciam non modicam, quatenus latori presencium iusticie complementum facietis in causa, vestro in iudicio proponenda. N. iudex pariterque et consules, tota communitas ciuitatis.

*Iohannes
P(etro) episcopo Cracoviensi
ex hereditario iure collationis clericum Petrum ad vacantem ecclesiam
parochialem civitatis suae praesentat*

F. 49 v. Presentacio ^{a)}.

Reuerendissimo in Christo patri et domino, domino P(etro), episcopo Cracouiensi. Jo(hannes), debite fidelitatis seruanciam cum promtitudine famulandi. Pater reuerendissime et domine mi, gracioseque domine. Ecclesia parrochialis ciuitatis nostre nunc ipsa vacare dinoscitur, domino S., plebano eiusdem immediate ecclesie, carnis uniuerse tramitem subintrante; cuiusque ecclesie colacionis jus hereditarie in titulo nobis ascribitur pertinere. Unde deuocionem humilitatis, discretionem probitatis, probitatemque sinceritatis Petri, ostensoris presen-

cium clerici, considerantes, eximiam sibi tamquam condigno et ydoneo dicte recturam ecclesie seu plebanatus officium,

F. 50 r. propter amorem sincerum Ihesu Christi, gauise contulimus: eundemquem vestre paternitati reuerendissime transmittentes presentamus presentibus, pro ipso cum obnixis supplicando petitibus, quatenus sepedictum, per vestre potestatis gratiam pure, ob Altipotentis clemenciam; ecclesie pretuite in pastorem siue in rectorem confirmare dignemini, eidem de cura atque animarum regimine aliisque donis spiritualibus fauorosius prouidentes. Famulamen in celorumque curia brauium gliscitis consequi spirituale. Nostri munimine sigilli evidencius corroboratum. Sub anno Domini M^oCCCC primo.

a) sic in ms. « Provisio » deletum.

N. 138

s.l., s.d.

*Iohannes de Tęczyn castellanus Cracoviensis
P(etro) episcopo Cracoviensi;
de P. Pribislai de M., clerico in minoribus constituto, qui presbyter ordinari desiderat
(Fragmentum)*

F. 50 r. Provisio.

Reuerendissimo in Christo patri ed domino, domino P(etro), de^a) gracia Dei episcopo Crac(ouiensi), seu ipsius sufraganeo. Iohannes de Tachin, castellanus Crac(ouiensis), obediencie reuerenciam et honorem. Reuerende pater. Quia discretus vir P. Pribislai de M., vestre dyocesis filius, in minoribus constitutus ordinibus, ascribi desiderat milicie clericali, et ad superiores sacros clericorum ordines, eciam presbiterari Deo duce, desiderat; quo circa eundem virum, in suo tam salubri atque salutifero proposito cupiens etc.

a) sic in ms.

N. 139

s.l., s.d.

*Iohannes praepositus et Margarita priorissa monasterii O. Praemonstratensis in Busko
P(etro) episcopo Cracoviensi;
de vacante parochia in S.
(Fragmentum)*

F. 50 r. Presentacio.

Reuerendissimo in Christo patri et domino, domino P(etro), Dei gracia episcopo Crac(ouiensi), uel eius sufraganeo in spiritualibus deputato. Iohannes prepositus, Margarita priorissa Jachna Swotochna, totusque conventus monasterii in Busco ordinis Premonstratensis dyocesis Crac(ouiensis), oracionum deuotarum et obediencie solite continuum incrementum. Reuerendissime pater et domine graciosissime. Quia ecclesia parochialis in S. vacat ad presens per mortem et obitum^a) P., eiusdem rectoris immediati premortui, cum itaque eius-

dem ecclesie jus patronatus legitime ad nos disdinoscatur^{b)} etc., secundum quod in priori ubi muta(n)do etc.

a) in ms. glossa super versum: « uel liberam resignacionem etc... ».

b) sic in ms.

N. 140

s.l., s.d.

*B. de K. patronus ecclesie S. Trinitatis in R.
P(etro) episcopo Cracoviensi;
de permutatione parochiarum*

F. 50 r. Alia presentacio commutacionis ecclesiarum.

Reuerendissimo in Christo patri et domino, d(omino) P(etro), episcopo Crac(ouiensi). B. de K. reuerenciam debitam et honorem. Pater reuerende. Quia discreti viri J. de K. et S. de M. ecclesiarum rectores, presbiteri vestre diocesis Crac(ouiensis), cupientes se locis mutare, utilius et salubrius exercere, consensu nostro ad id ipsum specialiter attendente, ecclesias suas adinvicem permutarunt. Sed quia ecclesie ad Sanctam Trinitatem in R. memorate, jus patronatus ad nos pertinere dinoscitur, ideo reuerencie vestre P. de K. presentamus, rogittantes studiose, quatenus, nostre petitionis intuitu, ad eandem ecclesiam confirmatis, ipsum de eadem instituere et investire velitis graciose; sibi curam temporalium et administracionem spiritualium in eadem committentes, adhibitis cerimoniis

F. 50 v. et solempnitatibus ad hec debitis et consuetis, prout ad vestrum dinoscitur pertinere officium pastorale. Datum.

N. 141

s.l., s.d.

*Ignotus
consulibus civitatis;
de iustitia reddenda*

F. 50 v. Pro juris explicacione quando mittunt de ciuitate.

Prudentibus viris, dominis et consulibus in tali ciuitate, fauorem cum sincera amicitia premissa. Quia proponentibus duobus coram nobis pro amputacione manus, et vestrorum contumeliosorum poreccione, sentenciam seu regulam juris ignoramus omnino comodo penis, quibus eorum cum solucione deberent astringi: ideo vestris industriis duximus supplicandum, quatenus de et super nostros animos dignemini informare, ut unicuique parcium predictarum reddatur iusticie complemen- tum. Datum.

N. 142

*Ignotus
universis;
cessio domus in ciuitate Skalat (?)*

s.l., f. sexta p. festum s. Petri 1405

F. 50 v. Resignacio in iudicio facta.

Universsis et singulis. Manifestum sit legentibus presens scriptum, quod sub anno Domini M^oCCCC^oV^o, feria sexta proxima post festum

sancti Petri, iudicium in ciuitate Scalat^{a)} banitum finaliterque confirmatum, per quod advocatum virum sagacem tunc temporis constitutum, et per auctoritatem^{b)} scabinos submissos videlicet: B. dictum Pek, et C., D., E., F. etc.; coram quo iudicio constitutus providus vir J., non compulsus, nec per aliquod vicium erroris seductus, sed sanus mente, animoque bene deliberato, resignavit, ac resignando porexit, domum suam, sitam in platea Sal(uatoris) inter domum B. et C. partibus ex utrisque, cum omni longitudine latitudineque, prout solus tenuit ac possedit, prudenti viro Ff., suisque legitimis successoribus, jure hereditario imperpetuum possidendam, tenendam, vendendam, donandam, comitandam, ac in proprios usus et beneplacidos conuertendam, sicuti voluntati sue placuerit, successoribus legitimis necnon etc. In cuius rei testimonium sigillum scabinale ciuitatis predictae presentibus est appensum. Datum in anno...

a) in ms. « Scalat » vel « Scarvar » vel « Stalvar »; lectio incerta.

b) in ms. « a.c.o.m »; lectio incerta.

N. 143

Cracoviae, s.d.

*Advocatus civitatis Cracoviensis
universis;
actum resignationis areae confirmat*

F. 50 v. Resignacio.

In nomine Domini, amen. Nos advocatus, una cum scabinis ciuitatis Cracoviensis omnibus et singulis tam presentibus quam futuris cupimus fore notum, quod honorabilis vir, nostre ciuitatis cuius, non compulsus, nec coactus, sed mente et corpore floridus, bono animo et maturo, suorum amicorum consilio, unam aream, sitam in tali loco nostre ciuitatis prenarrate, circumspecto viro N., etiam conciu, et suis successoribus legitimis coram nobis banito in iudicio resignavit perpetue possidendam, vendendam, comutandam et conuertendam ad sui uel ad suorum posteriorum status frugalitate, prout sibi uel suis legitimis videbitur expedire. In cuius rei testimonium etc.

N. 144

s.l., s.d.

*Ignoti iudices
iudici et iuratis civitatis B.
quaestionem de iure hereditatis, inter sororem et uxorem defuncti agitatam, proponunt*

F. 50 v. Prouidentibus viris, iudici et iuratis ciuitatis B. Prudentes domini, amici nostri, fautores karissimi.

F. 51 r. Ad nostram nuper audienciam tale peruenit negocium: fuit quidam, cuiusdam ciuitatis incola, qui sororem uterinam habuit; cumque paternas, prout tenebatur, est depertitus diuicias, et post hoc a sorore est^{a)} per diuisionem sequestratus omnino. Pretuitus duxit uxorem legitimam; tandem cum uxore manens prehabita, prole carens, et multas habens diuicias, ab hoc migravit seculo; et in mortis articulo positus, dolore oppressus forti grawedine, nulli quidquam legauit.

Est igitur inter sororem et uxorem predicti cuius defuncti facta pro diuiciis discussio nostro coram iudicio: que deberet iure pretactas possidere diuicias, utrum soror, an legitima contoralis? Ergo vestram petimus prudentiam nos, quatenus vestras iuxta regulas informetis super tali negotio instanciam, qualiter ad premissum factum debemus pronunciare sententiam. Pro quo fideliter volumus promereri. Datum.

a) in ms. « per » bis repetitum.

N. 145

s.l., s.d.

Heres de K.

domino S. Sand.;

rogat, ut arma regi, qui principis Conradi castra obsidere cupit, in adiutorium mittentur

F. 51 r. Nobilis od nobilem.

Viro nobilitatis multitudine insignito, domino S. Sand., complacencia in omnibus pronius preuoluta. Nobilis domine atque fautor mi. Vestre nobilitati palam existit, ut credimus, rex inclitissimus sua potencia valida cupit obualare castra sui homagialis principis Cunradi, cum missilibus atque machinis et aliis instrumentis. Idcirco vestram nobilitatem rogittamus maximo cum precatu, quatenus nobis vestra arma prestare dignemini. Etenim aliquod sui senseritis nocumentum armis in eisdem. Vobis satisfacione congrua obuiabimus diligenter. Nos heres de K., vester fautor specialis.

N. 146

(S. Sand.

s.l., s.d.

heredi de K.)

arma rogata promittit

F. 51 r. Rescriptum.

Viro nobilitatis copia exposito. Domine nobilis atque fautor. Arma nostra, pro quibus intimastis rogitando in eisdem, vobis non negligemus. Pro eisdem destinabitis, quando placet. Preterea vestram nobilitatem petimus operose, quatenus censuali nostro S. de K. operari dignemini jus congruum in causa, quam habet proponere coram vobis, cum vestro rustico N. de L. querulando. Datum.

N. 147

s.l., s.d.

N. heres de K., generalis procurator terrae (Cracoviensis)

ad subditum suum P. in S.;

stationem (Wladislai II Poloniae) regis in S. preparare iubet

F. 51 r. Dominus serwo.

N. heres de K., generalis procurator terre etc. Premissa promocione, iugiter speciali. Noster fidelis et dilecte. Sub obtentu nostri fauoris mandamus tibi, pariter secretissimo sub mandato, quatenus tua cura cum

vigilli, infra quindenam a data presencium, braxateris ceruisiam quatuor ex brascis, cibaria varia et pabula equorum comparando. Etenim noster rex mayestissimus, cum sua consorte, in S. manere per unam proponit septimanam. Hoc operare nostrum fauorem prout diligis retinere. Nostro fideli P. in S. permanenti detur.

N. 148

s.l., s.d.

P. de S.

N. (heredi de K.) procuratori generali terrae Cracoviensis ad ordinem de statione regia preparanda respondit ducem Witoldum stationem habuisse

F. 51 r. Rescriptum huius.

F. 51 v. Viro multa nobilitate ornato, domino N., procuratori generali^{a)} terre Cracouie. Seruitute fideli pronius preuoluta. Domine atque promotor mi. Precipue ignoratis fortasse, dux Vitoldus equis cum triginta ultra unam septimanam in K. moratur, sumptus plenarios de curia dare precipiens sibi propriis cum ministris. Quam ob rem vestre nobilitati obvio pretuita intimando, quare meditari dignemini, unde sumere haberemus ea^{b)}, pro quibus mihi litteratenus intimastis. P. de S. vobis fidelis ut sequitur.

a) in ms. « procuratoris generalis ».

b) in ms. « que » deletum.

N. 149

s.l., s.d.

Ignotus

P. heredi in K., domino Cracouiae de minis sibi ab aliquo nobili illatis conqueritur

F. 51 v. Amicus amico.

Viro nobili de genere educto, P. in K. heredi, domino Cracouie. Obsequio promptissimo iugiter producto. Domine atque fautor. P. talis, nobilis, qua de causa penitus ignoro, mihi scripsit litteras hostiles, cupiens lessonem mei corporis pariter et bonorum. Igitur vestre nobilitati preces dirigo peroblixas, quatenus vestro mihi dignemini consilio, quid et qualiter debeam operari cum predicto. Eciam queso, si me iam predictus holi^{a)}us invaserit, mihi vestro suffragio succurratis; pro quo vestre nobilitati obuiabo obsequiis nullo tempore fatigatis.

a) sic in ms. « hołysz, hołota »?

N. 150

s.l., s.d.

N. heres in S.

P. heredi in K.

assistentiam contra adversarium promittit

F. 51 v. Rescriptum huius.

Viro famositate decusato^{a)}, P. heredi in K., benivolencia ubilibet preparata. Famose vir. Quemadmodum petiui^{stis}, vobis aliud nequimus reperire consilium: litteris et viris honestis vestrum amoveatis aduersa-

rium, ab ipso exposcentes concordiam, pro inculpacione vestram innocenciam detergendo; sin autem ipsius, cuius protervia vobis aduersari non sinerit, mox faciatis, vestris rusticis eorum cum bonis mobilibus, nostras ad hereditates fugitum ire festinate; deinceps congregatis confratribus, villas vestri aduersarii iam pretacti spoliabitis, ad castrum nostrum securius fugientes. N. heres de S., vester fautor sincerus.

a) sic in ms.

N. 151

s.l., s.d.

*P. heres de K., capitaneus, et N. heres de M., castellanus
P(etro) episcopo Cracoviensi;
donationem bonorum rogant*

F. 51 v. Milites ad episcopum.

Reuerendissimo in Christo patri et domino, domino P(etro) Dei gracia episcopo Crac(ouiensi), obsequiis promptissimis iugiter presentatis. Reuerendissime pater et domine. Vestra reuerencia diuinitus sublimata existit in excelsam dignitatem, pariter copiosas diuicias pre aliis, de quibus gaudium oritur nobis perimmense. Vestram igitur paternitatem reuerendissimam, de qua fiduciam gerimus non modicam, amplectimur precibus indefessis, quatenus intuentes mage(statem) ^{a)} diuinam, pyetatem, nostraque obsequia, memores esse dignemini vestrorum seruitorum nostrorum fillorum, ipsis aliqua prebentes beneficia ubi placet, pro quo seruiemus, obuantes oracionibus perpetue. P. heres de K., capitaneus talis castri, N. heres de M., castellanus talis castri, vestri seruitores.

a) in ms. « mage ».

N. 152

s.l., s.d.

*Petrus episcopus Cracoviensis
ad P. heredem de M.;
respondit ad petitionem*

F. 51 v. Rescriptum huius.

Petrus, diuina de gracia presul Cracouiensis ecclesie, salutifero affectu affectans preobtato. Nobiles viri fratresque nostri karissimi. Litteratenus, prout suplicastis, vestris petitibus obuare gliscimus.

F. 52 r. Vestros filios ad dignitatum culmina promouebitis, si eosdem videbimus scienciis expolitos; hanc dumtaxat in istis, ymo in ceteris, gliscimus complacere.

N. 153

s.l., s.d.

*J. heres etc.
P. cиви in S.,
ut sibi sellam comparet*

F. 52 r. Milles ad ciuem.

Provido viro P., cui in S., compatri meo presincero. Complacencia speciali affeccius preoptata. Sagax vir, noster compatre amantissime. Vestram prudenciam amplector rogatibus affeccius, quatenus vestra pro

pecunia mihi comparare dignemini sellam cum suis atinenciis, videlicet selipendia, postelam et antelam, cum strepa et cingula pariter et strepato. Eciam queso pro freno et thamo hereo^{a)} uel eneo. Vobis enim pecuniam cupio persolvere ex integro, pro quo vobis conabor facere recompensam. J. heres etc.

a) sic in ms.

N. 154

*P. civis de S.
(J. heredi)*

s.l., s.d.

ad commissionem sellam comparandi respondet

F. 52 r. Strenue vir compaterque mi amatissime. Vestre strenuitati comparabo pertinencia cum sella, ut petistis; et vobis presentibus munisculis: duobus sibiricellis^{a)} atque castoribus cupio complacere; que accepturi queso gratancius dicta racionis, memorantes exiguum munus cum etc. P. civis de S., compater.

a) sic in ms.

N. 155

*Margarita heres de S., relicta Petri
ad K. uxorem P., civis in K.;
varias res ad nuptias filiae comparandas committit*

s.l., s.d.

F. 52 r. A vidua milite etc.

Honestatis multitudine decorate K., conthoralli P., cuius in K. Complacencia pronius preuoluta. Mea fautrix singularis et dilecta. Propono indubie in festo sancti Jacobi, proxime venturi, Ursule, mee nate, nuptias celebrare^{a)}. Unde ad tuam honestatem fauorabilem propero cum precatibus, dirigens decem marcas, quatenus digneris comparare crocum pariter et tunicam; ceterum queso pro mantello aureis cum pretextis, atque pro amilligratino unaque rigillo; pro quo in similli complacebo. Margarita heres de S., relicta Petri.

a) in ms. tria verba vix legibilia deleta.

N. 156

*P. civis
N. scholari,
ne Pragam ad studia veniat*

s.l., s.d.

F. 52 r. Scholarus ad scolarem.

Disciplinato viro N., scholari ad Beatam Virginem Cracovie comoranti. Affectu salutifero pronius preconcepto. Consortum karissime. Didici ab aliquibus veridice g(racia) studii, quod velles Pragam visitare. Unde societati consulo affectiue, quatenus in ciuitatem pretuitam tuos gressus ullatenus dirigas, pro casibus enim atque exerciciis, correccionibus, verberamur crudelius ut frequenter. Fortasse, et sine forte, tuam ad karitatem visitabo propria in persona. P. cuius, consors dilectus.

*(Clericus) Sancti P. in Cracovia
vicario "ad Beatam Virginem Cracoviensem";
rogat, ut sibi de beneficio provideatur*

F. 52 r. Presbiter ad presbiterum.

Viro multa discrecione insignito, P. vicario ad Beatam Virginem Cracouiensem. Discrete vir atque fautor. Vestre discrecioni, de qua fiduciam gestio non modicam, supplico operose: quatenus mihi obsequio dignemini prouidere aliquam certam ecclesiam, seu proprietalem uel domum scolarem; pro quo me videbitis prouiores et graciales Sancti P. in Cracouia.

*P. rector ecclesiae S.S.
J. rectori ecclesiae parochiali in O.
commendat cuctricem cum filiis*

F. 52 v. Plebanus ad plebanum.

Discreto viro domino J., rectori parochialis ecclesie in O. Discrete vir atque fautor. Precurrente informatum sum littera: dominus archidiaconus aut ipsius vicesgerens in proximo dyocesim visitabit, ecclesias conveniendo, igitur, suspectionem cauens, pauens ponderosam, supplico vobis precibus valde magnis: quatenus meam coctricem, tribus cum pusillis, circa vestram familiam soluere dignemini, quousque visitacio preteribit iam pretacta. In hiis operamini, prout gliscetis recompensam. P. rector ecclesie S.S.

*Ignotus rector
ignoto episcopo;
de damno a S., herede in K., in decimis episcopalibus facto*

F. 52 v. Plebanus ad episcopum.

Reuerendissimo in Christo patri etc. Obediencia pretuita oracionibus cum deuotis. Pater reuerendissime et domine. S. heres de K., ignoro qua causa precurrente, suis de agricolis vobis noluit decimare. Ceterum prefatus in K. vestras decimas propriis cum rusticis tritulauit. Quare ad hostium vestre paternitatis, reuerendissime, festino, intimans iam predicta, quatenus de operato dignemini S. cum predicto, vobis ut videbitur, expedire. N. rector etc.

*Ignotus
regula servanda in obligationibus contrahendis
(Fragmentum.)*

F. 52 v. Notandum quod quocienscumque universitas seu capitulum obligatur seu promittit, plus quam due partes capituli vel uniuersitatis debe(n)t interesse contenti, ut robur firmitatis obtineat; non tamen est

necesse, quod omnes consenciant, qui interfuerunt. Unde uero, si perfecte vult facere instrumentum a(liquis), scribat in indice omnia nomina illorum qui interfuerunt, prout forma subscripta notabo. A(liquis) dicat, sicut superius dictum in premissis instrumento, ubi dicit(ur), in quo quidam capitulo plus quam due partes fratrum ipsius capituli existebant testes, qui scribunt(ur) instatuendo conueniencius extranei uel de capitulo uel uniuersitate, pretereo quod illi de capitulo uel uniuersitate sunt; ne ergo principales, litem propter hoc constituentes, non^{a)} uicentur; et nichilominus sigillo capituli, uel alterius constituentis uel constituencium roboratur; et idcirco specialem notam super hiis notabo.

a) duplex negatio: polonismus (?).

N. 161

Cracouiae, 11 Nouembris 1406

Sbigneus archidiaconus Cracouiensis

P(etro) in Antiqua Sandecz et clero;

Swant..., decanum, destituit eiusque loco P(etrum) decanum in Antiqua Sandecz instituit

F. 52 v. Comissio.

Sbigneus archidiaconus Crac(ouiensis) discreto viro P(etro) in Antiqua Sandecz, omnibusque et singulis ecclesiarum rectoribus per districtum decanatus Sandeciensis ubilibet constitutis. Salutem in Domino. Ex certis causis animum nostrum ad hoc mouentibus discretum virum Swant..., ecclesie rectorem in Chodcouice, decanum districtus predicti, de eodem decanatu destituimus; predictumque dominum P(etrum), rectorem ecclesie de Antiqua Sandz, in decanum decanatus districtus predicti instituimus, et preficimus, ac investimus presencium per tenorem; comittentes sibi officium decanatus de iure, et constitutione approbata, institutum. Quare uobis et vestrum cuilibet, districte iniungimus et mandamus: quatenus predicto rectori P.^{a)} in Antiqua Sandz, tanquam uero et legitimo uostro decano, obediat in omnibus licitis et honestis, et sibi debitam reuerenciam exhibeat. Datum Cracouie, die XI mensis nouembris, anno Domini M^oCCCC^o sexto, nostro sub sigillo.

a) in ms. « C. » vel « T. ».

N. 162

s.l., s.d.

Petrus decanus Antiquae Sandecz

ad rectores ecclesiarum decanatus;

eos ad conferenciam decanalem convocat

F. 52 v. Conuocacio.

F. 53 r. Petrus rector ecclesie de Antiqua Sandecz, et decanus districtus Sandecensis. Discretis uiris rectoribus ecclesiarum decanatus eiusdem. Salutem et fraternam in Domino karitatem. Auctoritate honorabilis uiri Sbignei, domini archidiaconi Crac(ouiensis), in hac parte nobis g(raciose) commissa, uobis et vestrum cuilibet, in uirtute sancte obediencie, et sub pena trium marcarum sinodali, mandamus districte precipientes: quatenus feria secunda proxima post festum sancti Nico-

lai confessoris, atque in domo nostre habitacionis in Antiqua Sandz sita, personaliter constituti ^{a)}, de hiis, que status nostre salutis et comodum reficiunt, pariter tractaturi. Littera autem presens de socio ad socium sine mora transcurrat, quam ultimus restituat sigillo subsignatam. Datum etc. Anno Domini.

a) sic in ms.; deficit verbum.

N. 163

s.l., s.d.

Jan Walach de K.

universis;

debitum erga C. (T.?) de K. recognoscit

F. 53 r. Obligacio.

Ego Jan Walach de K. tenore presencium recognosco, uniuersis publice profitendo, famosis C. ^{a)} de K. debitorie teneri et obligari, pro eorum dampnis et fidelibus serviciis, in sexaginta marcis pagamenti etc. Quas quidem sexaginta marcas dempto promittimus reponere et dare, a data presencium ad .IIII.^{or} septimanas, pecunia, uel aliis bonis meis, secundum taxam summe ^{b)} videlicet sexaginta marcas. Quod si non persoluerimus in prefixo termino adueniente, quod absit, extunc quidquid dampni liciti inter christianos et judeos pro pecuniis predictis idem perceperint, de quo quidem fide dignis testimonium suphiciens valent ministrare, cum affectu in dampnum meum redundabit. Harum quidem serie publicum sigillum etc.

a) vel « T. ».

b) in ms. sequitur « vel » deletum.

N. 164

Cracoviae, s.d.

Kuk de Pecz

(universis);

attestat se aliquos milites in seruitium alicuius regis assumpsisse

F. 53 r. Obligacio super eodem.

Ego Kuk ^{a)} de Pecz tenore presencium recognosco, quod in persona et nomine et mandato serenissimi principis et domini etc., assumpsi et suscepi in seruitium ipsius famosos viros condicionis militalis B., C., D., F., cum omnibus sociis eorum ad presens cum eis existentibus, uel adhuc ad eos venientibus, coniunctim uel diuisim; promittendo ipsis, mea bona et sincera fide et inconcusse obseruanda, pro omnibus dampnis licitis ^{b)}, in talibus seruiciis militaribus consumatis, plenam et integram reddere satisfaccionem cum necessariis, puta victualibus et expensatis; necnon ipsis, et cuilibet ipsorum adiunctis de presenti uel adiungendis, in solidum aut diuisim, pro serviciis secundum facultatem meritorum sub horum etc. Quibus sigillum in testimonium presentibus est appensum. Datum Cracouie.

a) sic in ms.

b) in ms. sequitur « observandum » deletum.

*Iohannes Walach de C., capitaneus
universis;
viros de C. (T.?) et J. Ff. de B. in servitium assumpsisse testatur*

F. 53 r. Insinuacio.

Nos Johannes Walach de C.^{a)}, capitaneus terre etc., tenore presencium insinuamus uniuersis: quia famosos viros de C.^{b)}, J. Ff. de B., cum ceteris sociis adherentibus ad seruicia nostra

F. 53 v. suscepimus indubiose; quibus quidem diuisim subscriptis bonam nostram fidem et sinceram siue proteccionem, semotoque omni dolo, promittimus, in domo ad domum ipsorumdem, pro omnibus dampnis consuētis, si aliqua perceperint in serviciis nostris existentibus; insuper, si ex prefatis aliquibus morte quecumque preventus fuerit in servicio nostro, nobis adhuc concessuris, quod cum absit, extunc porcio mortui presens pro reliquis sociis, ut prefertur, ascribatur. In quorum testimonium suphiciens pro robore sigillum nostrum presentibus est appensum.

a) pro « de K. », v. supra N. 163.

b) vel de « T. ».

*Iohannes
universis;
J. de K. et G. de S. in servitium militare assumpsisse testatur*

F. 53 v. Nos Johannes etc. Tenore presencium recognoscimus uniuersis publice profitendum: quia famosos viros J. de K. et G. de S., cum omnibus sociis eorum, ad presens existentibus uel adhuc^{a)} ipsis adherere volentibus, coniunctim aut diuisim, promittendo ipsis, nostra bona et sincera^{b)} fide, Deo debite et inconcusse obseruanda, pro omnibus dampnis et expensis in talibus serviciis militaribus, sociis exercitus consuētis, semotoque omni dolo dilacioneque, plenam et integram reddere satisfaccionem. Cum autem aliquo ex dictis sociis humanitus de hac luce contingerit (migrare?)^{c)}, in servicio nostro nobis comansuris, quod absit, extunc porcio migrati ipsiusdem pro reliquis sociis non debet denegari, sed integraliter ad ipsos, ut prefertur, tenetur reseruari. Horum quibus nostrum sigillum etc.

a) in ms. vox « existentibus » deleta.

b) in ms. « bona et sincera » bis repetitur.

c) hoc vel simile verbum in ms. ommisum apparet.

*Petrus de S. et Nicolaus de Ff.
universis;
de debitis a Iohanne Walach persolutis*

F. 53 v. Nos Petrus de S. et Nicolaus de Ff., cum ceteris sociis una nobiscum existentibus. Significamus uniuersis declarando quibus expedit, publice profitendo: quomodo strenuus et magnificus dominus Johan-

nes Walech, capitaneus K., nostris ^{a)} pro dampnis, pariter serviciis, omnibus nobis plenarium et integrum satisfactionis ministravit complementum, nullasque sibi culpas adhuc impingentes, sed lucide de premissis coram plebis multitudine reddendo multifarias graciaram acciones, nec in aliquo contradicendo. Super quibus omnibus et singulis, nostra sigilla presentibus sunt impressa. Datum die, anno etc.

a) in ms. « in serviciis » deletum.

N. 168

s.l., s.d.

Wladislaus (II rex Poloniae)

ignoto;

stationem sibi in Sandomiria preparare iubet

F. 53 v. Littera ut procurentur necessaria.

Wladislaus, Dei gracia etc. Quia feria quarta, ipso die sancti N., in Sandomiriam, Domino concedente, constituemur feliciter, ideo pro statione nostra huiusmodi necessaria, pro spacio duarum septimanarum, procurari disponas, copiosa edificia curie nostre in suis structuris faciens reparari ordinate. Aliud non facturus graciae nostre sub optentu.

N. 169

s.l., s.d.

(Iudex)

(magistratui alicuius civitatis)

sessionem tribunalis in civitate tenendam nuntiat

F. 53 v. Amici nostri. De mandato serenissimi principis et domini, domini nostri regis Polonie, ciuitatem

F. 54 r. vestram ad residendum ibidem in iudicio, feria quarta post festum sancte Trinitatis, visitare proponimus de presenti. Quapropter vobis, presentibus, auctoritate dicti domini regis, committimus et mandamus: quatenus, diebus forensibus, ubi hominum fuerit mayor multitudo, voce preconia proclamare faciatis adventum nostrum; intimantes, quia in termino predicto, pro ^{a)} tribunali et iudicio, sedere volumus unicuique iusticiam ministrantes. Datum.

a) in ms. « terminali » deletum.

N. 170

s.l., s.d.

Ignotus princeps

ignotis;

de fideiussoribus marchionis Moraviae

F. 54 r. Noveritis, quod nobiles viri et domini, domini, dominus N. de S. et dominus S. de K., pro debito illustris principis et domini, domini J. marchionis Moravie senioris, obstagium in mayori ciuitate Pragensi subintrauerunt, tanquam nobiles, generosi et probi fideiussores, promissorum ipsorum tenere volentes et prestare. Sed vos in hac parte fidei vestre ^{a)} et horum inmemores, promissum vestrum, predicto

vestro marchioni factum, minime tenere curetis et exsoluere. Quare et super huiusmodi vos amoneo: quatenus una cum predictis obstagium subintrare velitis, et pro ratione pecuniam capitalem, una cum omnibus et singulis dampnis desuper acrescentibus mihi nichilominus persoluatis. Secus si feceritis, extunc de vobis tamquam de mendace fidefrago ^{b)}, et honorem non habente, loqui permittam, cum aliis additiobus, que tempore et loco suis vos item latebunt. Datum.

a) in ms. « vestri ».

b) in ms. « fidefrago ».

N. 171

(Capitaneus?) districtus ignoti
(regi Poloniae?)

s.l., s.d.

de invasione hostium repulsa nuntiat

F. 54 r. Timentissime, metuendissime! Fauor fortune ineffabilis nobis intonuit, hostilibus incendiis et rapinis, districtus ex utraque parte ipsos devastantibus, confestim congregatis hominibus pedestilibus. Prostratis inopie de morsibus, prout preces ferentes Altissimo, qui confissos in se non deserit, armorum induti generibus pauci bello subintrantes, certamina parti adverse, cuius cohors innumerabilis extitit, repugnauimus, quorum .X. super unum ex nostris emergerunt, eleganter triumphum bravium reportantes pluribus occisis, reliquis captiuamentorum iugo subditis. Eatenus vestre mayestati premissa duximus intimandum, affectantes sanum consilium a uobis, quid cum pretuitis capituis facere debemus.

N. 172

(Rex?)

s.l., s.d.

ignoto;

causam sibi propositam ad adventum quaerentis discutendam remittit

F. 54 r. Quia causam intencionis discernere non volui, propter cuius graues articulos ex utraque parte propositos consulens estimo: ut treugarum federe facto ^{a)}, eam in suspenso dimittam, usque ad aduentum vestrum, permanere; et dum copia presencie vestre affuerit, Deo auxiliante, inter discordantes competencius finem facietis.

a) in ms. « factus ».

N. 173

J. de C. palatinus Cracoviensis
ad P(etrum) episcopum Cracouiensem;
rogat, ut sibi familiaeque concedatur privilegium extra ecclesiam divina
audiendi

s.l., s.d.

F. 54 r. Palatinus ad episcopum.

Venerabili in Christo patri et domino, domino P(etro),

F. 54 v. episcopo Cracouiensi, domino meo gracioso. J. de C. ^{a)} palatinus Cracouie, vestre paternitatis humilis. Quia plerumque, variis perperditus arduis dispendendis negociis, ad diuina audienda agredi comode non valeo, idcirco, venerande paternitati vestre supplico humiliter et

attente: quatenus liceat, in curiarum nostrarum locis congruis et honestis, in altari viatico uel portatili, a presbitero seculari uel a religioso, diuina ad audiendum cum familia cotidiana ac eandem conficiendi, tocians quociens fuerit oportunum, licenciam concedere^{b)} dignemini gracie. Datum die, loco quibusuis, nostro sub sigillo.

a) pro «K.» v. N. 174.

b) in ms. «concedere» bis repetitur.

N. 174

P(etrus) episcopus Cracoviensis *s.l., s.d.*
J. de K. palatino Cracoviensi
privilegium confessoris eligendi, et missam extra ecclesiam audiendi
concedit

F. 54 v. Rescriptum huius.

P(etrus), Dei gracia episcopus Crac(oviensis). Strenuo militi J. de K., palatino Crac(oviensi), salutem in Domino. Vestre deuocionis affectum perpensus in Domino commendantes et saluti salubrius consulere cupientes: quatenus presbiterum discretum et idoneum, nostre diocesis filium, secularem uel religiosum, in confessorum eligere possitis, qui super peccatis, que sibi confitemini, tocians quociens fuerit oportunum de absolucionis beneficio, eciam et in casibus nobis specialiter reseruatis, et penitentiam prouideat salutari, et ut liceat uobis cum familia uestra cottidiana, in curiarum uestrarum locis congruis et honestis, aqua benedicta aspersis, in altari viatico missas sine parochialium ecclesiarum prejudicio, submissa uoce, audire, presentibus misericorditer indulgemus. Depopulatorum agrorum, oppressorum uirginum, incendiariorum, sacrilegiorum, et pro uolenta manuum iniectione^{a)} in clericos excommunicatorum, et interdictorum casibus et interdictionibus dumtaxat exceptis. Ad unius anni spacium volentes premissa robur habere. Datum etc.

a) in ms. «in et teccione».

N. 175

B. notarius principis *s.l., s.d.*
N. ciui Cracoviensi;
monet de causa contra eum illata

F. 54 v. Amicus amico consiliat, ut fugiat.

Provido viro N. ciui Cracoviensi, amico meo carissimo. B. notarius serenissimi principis etc. Amicorum karissime. Secrete ex quorundam nobis fauencium relatibus accepimus, quomodo in aliquibus falso sitis apud consules acusati criminibus; qui quibus uobis nimirum indignati ad cunctorum delatorum uestrarum sinistram, ut credimus, et mendam accusationem purgacione uestra iudiciali, si quam uelitis facere et possetis, non obstante, contra uos seriose^{a)} procedere intendunt. Idcirco uestre amicitie duxi^{b)} consulendum, quatenus cicius locum habitationis uestre, locum quocumque modo potueritis competenciori, mutetis inprotracte, aut de salubriori uigilletis remedio. Datum loco, die.

a) in glossa superscripta: «id est rigide».

b) in ms. «supplicandum» deletum.

*P. notarius episcopi Cracoviensis
ad N. rectorem ecclesiae in P.;
monet de litteris diffamatoriis de eo a parochianis ad episcopum
scriptis*

F. 54 v. Super eadem materia.

F. 55 r. Discreto viro rectori N. ecclesie in P., domino et fautori meo karissimo. P. notarius reuerendi in Christo patris et domini, domini P(etri) episcopi Crac(ouiensis), vester in omnibus. Domine fautor et amice carissime. Ex quorundam secretiorum versione percepi dominum vobismet^{a)} et mihi multum fauentem secrete ex relationibus percepisse euidenter, quod quidam vestri parochiani litteras contra vos difamatorias et delatorias secrete obtulerunt; per quas principaliter pro notorio concubitu et meretricio, ebrietatibus, litum discussionibus plerumque in diuinis negligenciis eidem domino episcopo Crac(ouiensi) detulerunt et accusauerunt; quibus quidem delatoribus vestris prefatus dominus fidem adhibuit penitus credituam; ob quod contra vos multum comotus, et iratus^{b)} rigidius procedere disponit. Eatenus vobis duxi consulendum per presentes, quatenus de remedio huiusmodi provideatis oportuno. Datum Crac(ouie), sabato infra octauas Natiuitatis.

a) in ms. « vobis me ».

b) in ms. « speratur ».

N. 177

s.l., s.d.

*Semovitus dux Masoviae
(Wladislao II) regi Poloniae;
de absentia in Cracovia se excusat*

F. 55 r. Littera expurgatoria a principe ad regem.

Illustrissimo principi etc. Semovitus dux Mazovie, vestre mayestatis fidelis. Serenissime rex, domineque multum nobis graciose. Quia iuriorum, displicenciarum, et dispersionum materias, inter nobiles subditos nostros, actenus ad carnispriuium motas et habitas, colloquia in terra nostra tempore eodem celebrata, per amicabilem compositionem sopire et componere statuimus; idcirco petimus attente, quatenus mayestas vestra dignetur nos habere pro excusatum, cum solaciis pro consolacione celsitudinis vestre tempore premissis in Cracouia celebranda comode interesse non valemus. Datum.

N. 178

s.l., s.d.

*Iohannes heres de Re...
militi P. heredi de C. (T.);
eum contra N. heredem de C. (T.?) adiuuare non potest, regis mandato
obstante*

F. 55 r. Eadem.

Strenuo militi domino P., heredi de C.^{a)}, amico et fautori nostro karissimo. Iohannes heres de Re... Frater et amice karissime. Quia serenissimus rex W(ladislao), dominus noster graciosus, in specialibus celsitudinis sue in^{b)} mandatis, sub obtentu gracia regalis sue, nobis

discrecius precipiendo dedit: quatenus suffragia cuiuscumque modi contra et aduersus N. heredem de C.^{c)} nullatenus exhibitis nec vobiscum stare quovismodo debeamus; idcirco fraternitati vestre supplicamus, quatenus nos a predictis petitionibus velitis habere excusatum et subportatum, cum^{d)} mandatis regalibus contraire vere non possumus. Datum.

a) vel « de T. ».

b) sic in ms., « in » videtur superfluum.

c) vel « de T. ».

d) in ms. vox « rogatibus » deleta.

N. 179

s.l., s.d.

P. civis Sandomiriensis

N. civi Cracoviensi

nuntiat se ad nuptias eius venire non posse

F. 55 r. Eadem.

Provido viro N. cui Crac(ouiensi), amico meo speciali. P. cuius Sand(omiriensis), amicus vester sincerus. Amice dilecte. Quia specialibus in mandatis^{a)} strenui militis domini N., castellani Sand(omiriensis), nuper accepimus, ut necessaria pro statione regia, octo dierum in Sandomiria facienda, ipso die sancti M., procurare debemus copiosa: idcirco nuptiis vestris taliter, ut premittitur, prepediti, non valentes interesse comode, petimus nos apud amicitiam vestram haberi excusatos. Datum.

a) in ms. vox « capitil... » deleta.

N. 180

Cracoviae, s.d.

Wladislaus (II rex Poloniae)

abbati Tinecensi

Petrum monachum commendat

F. 55 r. A rege ad habatem.

Wladislaus, Dei gracia etc. Venerabili ac religioso viro N., abbati monasterii Tinecien(sis), nostro devoto dilecto. Deuote dilecte. Deuocionem vestram requirimus attente et hortamur, omnino volentes: quatenus regalis contemplacionis intuitu^{a)}, deuoto vestro Petro, exhibitori presencium, qui alias ex delicti leuitate sui animi a religione tui ordinis fertur recessisse, et compunctus corde reddere desiderat

F. 55 v. reatus^{b)} culpam misericorditer ignoscendo, ipsum ad predictum ordinem tuum graciose restituas, et assiduus benignis in domino affectibus pertractando, moderatam sibi pro huiusmodi excessui penitentiam iniungas^{c)}. In quo mayestati nostre gratam complacenciam ostendes et acceptam. Datum Cracouie.

a) in glossa: « considerationis specialis ».

b) in glossa: « i.e. criminis ».

c) in ms. ultimae litterae huius vocis deletae et correctae.

Sand(omiriae), s.d.

*Consules civitatis Sand(omiriae)
magnifico viro Iohanni de C. (T.),
ut civitatem a statione regali liberet*

F. 55 v. Ciues ad militem.

Magnifico viro domino Johanni de C.^{a)}, domino nobis gracioso. Consules ciuitatis C.^{b)} vestri seruitores in omnibus. Strenue domineque noster graciose. Nuper serenissimus W(ladislaus) rex, dominus, dominus noster graciosus, nobis regalibus mayestatis sue dedit in mandatis, quatenus necessaria pro felici statione sua in Sand(omiria), ipso die sancti N. confessoris et sequentibus, faciendo ad duarum septimanarum spacium, faciendo ordinarem copiosa; et vestram non latet dominacionem omnia victualia, humanam naturam concernencia, pariter et equorum, nostro in districtu propter ipsorum defectuum multum in caro foro consistere, idcirco petimus v(estram) d(ominacionem) quatenus serenissimum r(egem) inducere velitis, sue celsitudinis consiliariorum suffragio mediante, ut tam prolixam in defectuoso districtu stationem dignaretur non facere; pro quo pauperum oraciones vestra pro sanitate reportabitis sedulas et deuotas. Datum in Sand(omiria).

a) vel « de T. ».

b) sic in ms.

*Iohannes (servus)
ad dominum;
de aedificiis in curia sua*

s.l., s.d

F. 55 v. Servus ad dominum.

Magnifico viro etc. Johannes etc. vester fidelis. Domine graciose. V(estra) d(ominatio) mihi scribit, quatenus quedam edificia in curia vestra construi, et antiqua in structuris rupta reparari procurarem; et Deo mihi teste, quia hac vice pecuniis vestre dominacionis et propriis penitus careo. Pecuniam etenim in censibus perceptam ad mandata et pro necessariis eiusdem d(ominacionis) v(estre) totaliter exposui; de eadem pecunia, dum gratie vestre placuerit, rationem facturus realem. Datum.

*Iohannes de C. (T.) palatinus Cracoviensis
"fidei nostro dilecto" Jan Woyevoda Premisliensi,
ut custodiat castrum*

s.l., s.d.

F. 55 v. Ut custodiat castrum.

Johannes de C.^{a)} palatinus Crac(ouiensis) etc. Fidei nostro dilecto Jan Woyevoda Primisliens(i). Fidelis noster dilecte. Tibi comittimus precipientes: quatenus murorum defectus, turrium rupturas, necnon uniuersorum edificiorum ruinas castri C.^{b)} reparari ad plenum procurare; item victualia, et copiosa necessaria, et emolumenta, necnon equo-

rum pabula, fenum et alia necessaria, que pro spacio unius anni ad sexaginta equites seu balistrarios valeant suppicere, in eodem castro, quanto celerius potes, habeas prompta et parata. Insuper captiuos ipsius castri carceribus mancipatos, caute facias et diligenter custodiri. Ceterum coassumptis tibi aliquibus in auxilium terrigenis, villam C.^e in Colla Vallata, auctoritate nostra invadas violenter, dictumque heredem N., cum omnibus eiusdem ville incolis, detineas, detensosque in predicto castro ad nostrum felicem aduentum facias in carceribus firmiter obseruare. Datum die etc.

a) b) c): vel « T. ».

N. 184

s.l., s.d.

Wladislaus (II rex Poloniae)
Iohanni de P. palatino Cracoviensi
treugam cum N., praeposito s. Floriani, imponit

F. 55 v. Wladislaus, Dei gracia etc. Strenuo Iohanni heredi de P., palatino Crac(ouiensi), nostro fideli dilecto. Graciam regiam et omne bonum. Fidelitati tue, regie graciae sub obtentu, seriose precipientes mandamus: quatenus cum honorabili N., preposito Sancti Floriani, familiari et deuoto nostro dilecto, suisque servis et hominibus ac bonis uniuersis, a presentacione et recepcione presencium tibi facte,

F. 56 r. usque ad festum sancti Stanislai inclusiue venturum proxime, treugas paucifidas inuolabiliter deberes obseruare, ab illacione grauaminum, turbacionum et offensarum quarumcumque eidem preposito et suis bonis et hominibus striccius abstinendo; et caute precusodiendo amicis tuis, fratribus, et subiectis, eadem facere; quatenus non presumant, nostra auctoritate precipiendo, indignacionem nostram. Si secus feceris, aut quispiam ob fauorem amoris, aut induccionem tuam, facere attemptauerit: scias et sci(a)t se grauiter incursum; quoniam termino treugarum huiusmodi pendente, controuersias aut lites actiuas habitas, per salubrem compositionem complanare curabimus, Domino sufragante. Datum tali die, anno Domini M^o etc.

N. 185

s.l., s.d.

Nicolaus advocatus et scabini ciuitatis C. (T.?)
uniuersis;
sententia iudicialis in causa Iohannis et Petri

F. 56 r. Recognicio iudicialis.

Uniuersis et singulis quibus expedit harum noticiam habituris. Nos Nicolaus aduocatus Petri, B., C., D., scabini ciuitatis C.^a), significamus: quod mota coram nobis iudicialiter questionis materia, inter Petrum ostensorem presencium, actorem, ab una, et Johannem, reum, parte ab altera, de et super agro, per mortem Iohannis, fratris germani dictorum J. et Petri, cuius nostri memorie recolende relicto, vacante possessore legitimo; causa ipsorum predicta^b) diligenter examinata, et receptis hincinde probacionibus suis legitimis, litterisque et munimentis eorum diligenter inspectis, seruatis seruandis juris, ordine obseruato: memo-

rato Jo(hanni) et actori^{c)} predictum agrum taliter, ut premittitur vacantem possessore legitimo, adjudicamus, prefatoque Petro, reo^{d)} in huiusmodi causa, perpetuum imponimus silencium. Harum, quibus sigilla nostra sunt appensa, testimonio litterarum. Datum etc.

a) vel « T ».

b) in ms. « predicto ».

c) d): sic in ms.

N. 186

s.l., s.d.

*N. dictus P., advocatus, Petrus dictus Ff. et Jan dictus K., scabini civitatis C(racoviae) universis;
sententia in causa N. de P. et S. dicti C. (T.?)*

Recognicio.

F. 56 r. Nos N. dictus P., advocatus, Petrus dictus Ff., Jan dictus K., scabini civitatis C. Presentibus confitemur quibus expedit uniuersis, presencium noticiam habituris: quod constitutus coram nobis personaliter providus vir N. dictus, conciuus noster, mente et corpore existens sanus^{a)}, incolumis, non compulsus, sed libere, sue vocis viue oraculo^{b)} est confessus: prouido viro S. dicto C.^{c)} domum suam cum area in platea Sancti Floriani, inter domos N. dicti C.^{d)} et I. dicti P., conciuum nostrorum, sitam, condigne se vendidisse; cum effectu pro .C. marcis Polonicalis monete usualis in terra Polonie currentis, nummata pecunia dumtaxat excepta; quarum quidem .C. marcarum, .XL. marcas ad festum sancti Michaelis proxime venturum, .XL. marcas ad festum Natiuitatis Domini eciam venturum proxime, et residuas .XX. marcas ad festum Purificacionis Beate Virginis Marie proxime venturum prefatus N. de P. dicto Q. soluere se obligauit cum effectu et astringit; quod si non faceret, extunc pro quolibet trium terminorum predictorum termino neglecto .X. marcas eodem Martino^{e)} soluere tenebitur cum effectu. In quorum robur mayorem eiusdem sigillum nostre ciuitatis est appensum. Actum et datum.

a) in ms. hoc verbum in glossa.

b) in ms. « oracula ».

c) vel « Q ».

d) vel « T ».

e) sic in ms.

N. 187

s.l., s.d.

*Io. heres de C. (T.?)
universis;
recognoscit debitum suum erga dominum N. de K.*

F. 56 r. Recognicio brevis.

F. 56 v. Ego Io. heres de C.^{a)} presencium tenore^{b)} recognosco uniuersis, presentibus et futuris: me nobili viro, domino N. heredi de K., in centum marcas grossorum Pragensium debitorie obligari. Quas quidem centum marcas eidem domino presentibus promitto, bona fide, ad festum sancti M. venturum soluere cum effectu. Quod si non fecero, quod absit, extunc memoratus N., aut sui successores legitimi, eandem

pecuniam super dampnis meis inter christianos aut judeos debent conquirere, mea aut meorum successorum contradiccione non obstante. Datum anno Domini, nostro sub sigillo, presentibus viris nobilibus, B., C., D., Ff., G., aliis quampluribus fide dignis.

a) vel « T. ».

b) in ms. « tenere » bis repetitur.

N. 188

J. heres de C. (T.?)

Cracoviae, s.d.

universis;

debitum erga C. (T.?) de B. recognoscit

F. 56 v. Recognicio alia.

Ego J. heres de C.^{a)} Recognosco universis per presentes: me nobili viro, domino C.^{b)} heredi de B., ducentas marcas Polonicalis monete usualis in terra Polonie currentis mutuasse et mutuo percepisse. Quas quidem ducentas marcas promitto eiidem bona fide, ad festum Natiuitatis Christi venturum proxime, monete pro eodem tempore currentis in terra Polonie soluere plenarie cum effectu. Quod si non fecero, quod absit, extunc dicto termino Natiuitatis Christi elapso, petens P.^{c)} aut ipsius legitimi successores, possessionem ville mee dicte C.^{d)}, cum omnibus iuribus, utilitatibus et prouentibus ad eandem spectantibus villam, debent recipere effectualiter, et acceptare, et tamdiu tenere et possidere, quousque dicta pecunia fuerit eidem plenarie persoluta. In quorum euidentis testimonium sigillum nostrum una cum sigillo consulum ciuitatis Crac(ouie) presentibus sunt appensa. Datum anno, die etc.

a) b) d): vel « T. ».

c) sic in ms.

N. 189

J. heres de Ff.

Cracoviae, s.d.

universis;

recognoscit debitum cum usura erga iudaeum civitatis Cracoviae, dictum C. (T.?)

F. 56 v. Ego J. heres de Ff. recognosco tenore presencium uniuersis; judeo dicto C.^{a)} ciuitatis Crac(ouie) trecentas marcas Polonicales recepisse et sibique^{b)} in eisdem debitorie obligare. Super quibus quidem trecentis marcis, a die dominico post datum presencium proxima qualibet septimana sequenti .XXX. grossi acrescere debent de usura, tamdiu, quousque dicta capitalis pecunia, una cum usura exinde proveniente, eidem judeo aut suis successoribus legitimis fuerit persoluta plenarie cum effectu. Si vero, clemencia Altissimi disponente, me ab hac luce, priusquam premissa pecunia cum eius usura eidem judeo fuerit plenarie persoluta, deducere contingerit, extunc dictus judeus aut ipsius successores, in omnibus nostris bonis mobilibus aut immobilibus, aut amicis nostris huiusmodi bona nostra possidentibus^{c)}, repetendi dictam pecuniam cum usuris jure quocumque omnimodam habebunt facultatem. In cuius rei testimonium sigillum meum presentibus est appensum. Datum Crac(ouie).

a) vel « T. ».

b) sic in ms.

c) in ms. « poscentibus » (?).

*Io. de C. (T.?) palatinus Cracoviensis
praesidentibus iudicio Wislicensi;
de absentia in iudicio se excusat, pro incolis villae intercedit*

F. 56 v. Strenuis nobilibusque viris, dominis N. de C.^{a)} iudici, Jo. de Ff. subiudici generalibus, A., B., C. camerariis iudicio Wislicensi praesidentibus. Jo. de C.^{b)} palatinus Crac(ouiensis) etc. Mutue complacencie mutua incrementa. Quia nobilis N. heres de C.^{c)} in causa sua, quam coram

F. 57 r. vobis, cum nobili Stanislao de C.^{d)} actore principali, pro villa dicta P. in districtu Sandz sita, habet. Per dictum Stanislauum, actorem in causa huiusmodi, in testimonium asumpti, et pro incolis per dictum fuimus nominati; arduisque negociis regalibus disponendis prepediti, termino ad inducendum testes in huiusmodi causa prefixo interesse non valentes quocumode: supplicamus vestris amicitis sincero ex affectu, quatenus causa Dei et iusticie id efficere dignemini, ne ipsi incole propter absentiam nostri aliquod preiudicium, iacturam uel gravamen in causa predicta paciantur. Nos enim per presentes in consciencia nostra protestando deponimus et scimus, quod dicta hereditas ad sepe memoratum Nicolaum jure hereditario per consanguinitatem suorum predecessorum, videlicet N. de V. et H. de E., fratrum suorum germanorum, legitime est dewoluta. In quorum euidenciam pleniorum sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum et datum in Cra-
c(ouia) etc.

a), b), c), d): vel « de T. ».

*N. de Ff. iudex generalis districtus Sandecz
universis;
sententia, qua nobilis N. heres de C. (T.?) ad solvendam pecuniam
viduae Margaritae condemnatur*

F. 57 r. Nos N. de Ff. iudex generalis districtus Sandez et P. de C.^{a)} subiudex. Tenore presencium notum facere volumus quibus expedit uniuersis: quod nobilis N. heres de C.^{b)} judicialiter conuinctus nostra sententia diffinitiuam, nobili Margarete relicte Nicolai de C.^{c)} felicitis recordii, racione homicidii in dicto marito Nicolao, legitime domine M. memorate in trecentis marcis Polonicalibus monete communis in terra currentis, extat condemnatus. Quasquidem trecentas marcas ad festum sancti M. inclusiue debet soluere cum effectu. Quos si soluere neglexerit, extunc omnia et singula dampna, que sepedicta domina M. ob non solutionem dicte pecunie in premissis termino contraxerit seu perceperit, quocumque modo, dictus Nicolaus soluere tenebitur cum effectu. Quae etc. dampna dicta domina taxare debet iuxta suam estimacionem, prefato super hiis corporali juramento. Datum feria quinta, post festum sancti etc., anno Domini etc.

a), b), c): vel « de T. ».

*Cives Cracovienses
universitati civium alicuius civitatis
incolam Cracoviensem N. commendant*

F. 57 r. Ciues ad alios ciues.

Complacenciam in omnibus amicabilem. Quia N. ciuitatis nostre incola, presencium exhibitor, pingwioris fortune ob spem, habitacionis sue loco permutato, vestre ciuitatis conciuis fieri desiderat; unde nobis per ipsum peticio oblata pertinebat: quatenus obseruacionis sue honeste litteras sibi concedere dignaremur. Nos uero dicti N. iustis precibus et rationi consonis benignius acclinati, ipsum uniuersitati vestre perpensus comendamus, supplicantes cum eodem et pro eo; quatenus, dum ad locum ciuitatis vestre pervenerit, ipsum in conclium ciuitatis vestre predictae suscipere, et susceptum fauorabiliter vellitis pertractare^{a)}, de ipsius enim bona fama, laudabili vita conuersacioneque honesta, quantum humana felicitas^{b)} nosse sinit, presentibus testimonium laudabile perhibemus. Datum Cra(couie).

a) in ms. « perpertractare ».

b) in ms. « quantum humana felicitas » bis repetitur.

*Consules civitatis B.
consulibus civitatis P.;
consilium in iure definiendo petunt*

F. 57 r. A ciuibus ad alios ciues, pro iure.

Famosis viris dominis consulibus ciuitatis P. nobis fauorosis. Consules ciuitatis B. Viri in omnibus omnium nobis fauorosi. Horta nuper coram nobis iudicialiter, inter concives nostros infrascriptos^{a)} questionis materia extistit, sub hac forma videlicet, quod Johannes, actor, ab una iuste, et banito iudicio, domum in platea Sancti Floriani sitam, inter domos Jo. et Petri, acquisiuit, et iuxta consuetudinem opidi nostri, in signum triumphi solidum denariorum iudicibus uel presidentibus iudicio, exsoluit cum affectu; quam quidem domum, cum ad nutum suum conuenisset cuidam, superveniens N., reus, parte ab altera, aventores domus predictae expulit, et alteri eandem domum suo nomine ad certum tempus pro .X. marcis convenit pecuniamque pro conuencione recepit^{b)}. Et demum

F. 57 v. idem N., reus, prefatam domum in .XX. marcis cuidam obligavit. Quid ergo faciendum est causa huiusmodi dubitantes, de vestraque circumspectione in Domino presumentes uel fiduciam habentes, petimus vos amicabiliter informatos^{c)} diffinire, et in sscriptis^{d)} pronunciare dignemini, quod noster ordo dictauerit. In eo enim nobis singularem fauorem exhibentes. Datum in V., tali die.

a) in ms. « infrascriptas ».

b) in glossa sub linea « accept ».

c) in ms. « informatos ».

d) sic in ms.

*Pater
ad filium.
(Admonitionis fragmentum)*

s.l., s.d.

F. 57 v. Pater ad filium.

Paterni amoris continua incrementa. O quante profunditatis filii hominum datur occupatio. Cum etenim sapientes, maximeque stabiles reputentur, solis seculi blandiciis loqueantur; hinc est filii, quod licet apud graves discretus tenearis, tamen communi fama referente, qua accepimus, ferimus. Accepimus euidenter, quod sensualitatis freno disoluto etc.

*Filius
ad patrem.
(Excusationis fragmentum)*

s.l., s.d.

F. 57 v. Rescriptum huius.

Obedienciam in omnibus filialem. Conditionis quippe humane nature est proprius ad malum quam ad bonum inclinare; quod nobis ex ignorantia^{a)} credimus euenire. Plerumque etenim homines, eo quod non secreta cognoscunt, falsa sugestione informati faluntur, et insontes de facto oprimuntur injuste. Cum tamen eterni tribunal iudicis illum obnoxium non habeat, quem^{b)} militantis ecclesie iudex iniuste contempnat; hinc est, pater dilecte, quod ex vestris litteris accipi etc.

a) in ms. « ignorantie ».

b) in ms. « que ».

*J. de C. (T.?) studens Pragensis
Petro notario civi Cracoviensi;
de continentia servanda*

s.l., s.d.

F. 57 v. Socius ad socium.

Provido vir notario Petro, cui Crac(oviensi), socio suo karissimo. J. de C.^{a)}, studens Pragensis, socius vester dilectus. Sociorum karissime. Cum inter status hominum, licet eminentiorum, centuplum ultra inferiores bravium accipiant; inferiores tamen omnes magis ponderosum et iugum acrius experimento^{b)} ostenditur. Nam inter mille vix unus in veritate possit reperire, quoniam coniugii ligatus federe, solius anni spacium sine tedio possit deducere; iniri potius, si phas esset, mulieris conviui libentissime resiliret propter maximam feminarum inconstanciam. Sane omnibus mulieribus est insitum a natura, quare si primus oculus lacrimatur, ridet eius oculus ex aduerso. Fatuus igitur merito censerit poterit, qui blandiciis feminarum fidem adhibet, et eorum demonstracionibus se comittit falacibus. Qua propter hortor vos, tamquam amicum singularem, salubriter^{c)} perswadendo, quatenus premissis intraiunctis, vestra archana diligenter reuolutis, continencie

statu matrimoniali diuisio^{d)} viribus totis studeatis subiugare. Datum die tali, anno.

a) vel « de T. ».

b) hic in ms. « accipiat » deletum.

c) hic in ms. « famulando » deletum.

d) hic in ms. aliquid omissum vel erratum apparet.

N. 197

J. heres de C. (T.?)

Cracoviae, s.d.

ignoto domino

ex mandato regis possessionem villae A. recipiendam nuntiat

F. 57 v. Heres ad heredem.

Nobili viro, domino, fautori et amico meo karissimo. J. heres de C.^{a)} Domine, fautor et amice carissime. Nosse velitis, quod nuper serenissimus princeps dominus Wladislaus, Dei gracia rex Polonie inclitus, dominus noster graciosus, nobis suis regalibus districte comissit in mandatis: quatenus sue mayestatis regie nomine possessionem ville A., quam in Cola^{b)} consensu regio ad hoc non accedente pro .C. marcis vos emisse asseritis, cum omnibus dicte ville proventibus et utilitatibus, contradictione cuiuspiam non obstante, recipere debemus inprotracte. Quapropter petimus, quatenus animus dominacionis vestre ex eo erga nos non causetur; quoniam mandatis regalibus contrauenire non valeamus quoquomodo. Datum Cracovie etc.

a) vel « de T. ».

b) in ms. « incala ».

N. 198

Ignotus

Cracoviae, s.d.

N. heredi in S.;

rogat tempus ad revisionem mandati regis exposcendam

F. 57 v. Responsum huius a milite.

F. 58 r. Nobili viro, domino N. heredi in S., presentetur. Domine ac amice dilecte. Intimastis nuper singularibus prerogativis, me velud singularis amicus prosequens fauorose, meritis meis licet non expositentibus, quod serenissimus rex noster, dominus noster graciosus, nobis suis dedit in mandatis, quatenus possessionem ville mee A. recipere deberetis inprotracte; et quamvis hoc ipsum, erga dominacionem vestram licet desiderantes affecto promeri, cum pro talibus et multis aliis beneficiis per disolucionem vestram fideliter et graciose impensis, graciaram acciones refferro multiformes, et refferre quoram^{a)} pleborum multitudine^{b)} studebebo^{c)} in posterum. Nichilominus, si quam fieri poterit, peto vos confidenter, tamquam amicam specialem, execucionem mandatorum regalium prescriptorum ad duarum spacium septimanarum velitis suspendere et differre; ut tali termino pendente, consilio amicorum prehabito, graciosum regem nostrum possim accedere rogaturus, ut si forte sufragante mayestatis sue intencione permutata, me in possessionem dicte hereditatis benignius precipiet mitti pacificum et quietum. In quo singularem complacenciam ostendetis. Datum Cracovie.

a) sic in ms., pro « coram ».

b) hic in ms. « reffebo » deletum.

c) sic in ms.

*Consules, scabini totumque commune Cracoviae
Petro episcopo Cracoviensi;
de taxis pro consecratione*

s.l., s.d.

F. 58 r. Ciues ad episcopum scribunt.

Venerabili in Christo patri ac domino, domino Petro episcopo Cracouiensi, domino nostro gracioso. Dicti^{a)} consules, scabini, totumque commune ciuitatis, vestre paternitatis venerande seruitores. Subiectionem in omnibus filialem, cum promptitudine famulandi. Venerande pater domineque graciose. Dubitantes hic inde, et investigate ambiguitatis vestram determinatam solutionem nullatenus accipere potuimus: videlicet ne ordinarius loci, aut ipsius sufraganeus, ultra ordinationem vite necessarium prodigne pro consecratione ecclesie, altaris, cimiterii debeat per modum taxe aliquid demerito repetere. Quapropter vestre paternitatis venerande supplicamus humiliter et attente, quatenus de dubio premissis nos velit expedire graciose. Pro quo paternitati vestre obsequia prompta in omnibus studebimus exhibere.

a) in ms. « DD ».

*Ignotus (Petrus eps.)
(consuli etc. Cracoviae)*

s.l. (Cracoviae?) s.d.

litteras Mathiae ep. Cracoviensis ad consules Cracoviae mittit

F. 58 r. Responsum ab eodem.

Amice siquidem karissime.

Vestra discrecione karissimus, Mathias, Dei gracia episcopus Crac(ouiensis). Famosissimis viris, dominis consulibus ciuitatis, amicis nostris. Amici nostri karissimi. Pro parte vestra peticio nobis oblata continebat, quatenus questionis vestre scrupulum^{a)}: an licet^{b)} episcopo aut eius sufraganeo, pro consecratione seu reconciliacione ecclesie aut cimiterii precium seu salarium^{c)} per modum taxe exigere vel rogare^{d)}, digneremur. Eius questionis solutionem, vestris amicitis iuxta capitulum cum sit^{e)} infra, de consecratione ecclesie duximus explicandum; quia ultra explicacionem seu ordinationem factam pro consecratione ecclesie aut altaris etc., non est non^{f)} licitum episcopo aut sufraganeo ipsius per modum taxe aliquid exigere, quidquid tamen^{g)} de mera liberalitate oblatum fuerit licite accipitur. Datum etc., tali die etc.

a) in glossa: « vel defectum ».

b) in ms. « videlicet ».

c) in ms. « solarium ».

d) hoc verbum supra lineam, in qua verbum illegibile (evelle?) invenitur. Deesse videtur verbum « solvere », « definire », vel aliud simile.

e) hic in ms. « rolano », non deletum.

f) sic in ms.

g) hic in ms. littera « p » deleta.

*Iohannes de C. (T?) palatinus
P(etro) episcopo Cracoviensi
ad ecclesiam patronatus sui in C. (T?) Iohannem de C. (T?) investendum praesentat*

s.l., s.d.

F. 58 r. Presentatio unius domini aut plurimorum ad episcopum.

Venerabili in Christo patri ac domino, domino P(etro) episcopo Crac(ouiensi). Iohannes de C.^{a)} palatinus. Subiectionem filialem cum

promittuntur famulandi. Quia parochialis ecclesia in C.^{b)}, per mortem, aut liberam resignacionem, aut vicissitudinariam commutacionem N., eiusdem ecclesie rectoris ultimi et immediati, ad presens vacat; cuius quidem ecclesie ius^{c)} patronatus, colacio, presentacio, seu quevis F. 58 v. alia disposicio, ad nos dinoscitur pertinere; idcirco discretum virum Johannem de C.^{d)}, exhibitorem presencium, ad^{e)} dictam ecclesiam ob ipsius merita deuocionis ac honestatis, vestre paternitati reuerende duximus presentandum; supplicantes cum et pro eodem, quatenus ipsum in et de eadem ecclesia talem ut permittitur virtute dignemini investire graciose, quam animarum administracionem in spiritualibus et temporalibus ecclesie supradicte sibi comitentes, prout ad vestre paternitatis officium pastorale dinoscitur pertinere. Die. Datum.

a) b) d): vel « T. ».

c) in ms. « vis ».

e) in ms. « an ».

N. 202

s.l., s.a.

*Wenceslaus rex Romanorum
universis, principibus etc.
eos ad solacia tempore carnisprivii invitavit*

F. 58 v. Imperator scribit ad principes.

Wenceslaus, Dei gracia Romanorum et Boemie rex semper augustus. Universis et singulis principibus, baronibus, militibus terre nostre subiectis. Graciam imperialem et omne bonum. Iocundorum proprietatis est animorum delectabilium absenciam obiectorum iocabilibus mactari^{a)} comerciis, ne torpore^{b)} depressi^{c)} pigricia iuvenilem faciant vultum^{d)} decrescere^{e)} sueque causa existat corruptale^{f)}. Fideles nostri dilecti. Nullus vestrum ambigit^{g)} mayestatem nostram crebris fatigarum generibus occupari; quarum importunitas non nisi solaciorum presencia repellitur et fugatur libenter. Igitur nostre celsitudinis strenuitatis vestre colloquia, venustarumque consortium et filiarum vestrarum pii affectus placide conuersacionesque^{h)} iocundis affectibus omnem possunt mesticiamⁱ⁾ cordis anulare^{k)}. Quapropter, ob recreacionem spiritus nostre mayestatis regie, variis curis laborantis^{l)}, curiam ad carnis priuium venturum proxime disponimus iocundius celebrandam, vos et quemlibet vestrum singulariter requirentes, et omnino volentes, quatenus cum consortibus vestris et filiabus, earum amictu iocunditatis et solempnitatis decoratis, dictis nostris inperialibus solaciis nullatenus interesse negligatis. Datum in die secunda hebdomade).

a) supra lineam glossa: « coniungi ».

b) supra lineam glossa: « sompno ».

c) supra lineam glossa: « agrauati ».

d) in ms. « vitium ».

e) supra lineam glossa: « anichilare ».

f) sic in ms.; glossa supra lineam: « anichilacionem ».

g) supra lineam glossa: « dubitat ».

h) in ms. « conuersacionisque plie » (« plie » deletum).

i) supra lineam glossa: « tristiciam ».

k) supra lineam glossa: « anichilare ».

l) in ms. « labor... »; lectio incerta.

N. 203

Consules, scabini et commune civitatis Cracoviensis s.l., s.d.
Wladislao (II) regi Poloniae;
contra N. palatinum Cracoviensem

F. 58 v. Ciues querulantur supra palatinum.

Serenissimo principi et domino, domino Wladislao, regi Polonie, inclito domino nostro gracioso, consules, scabini, totumque commune ciuitatis Crac(ouiensis), serui licet indigni. Serenissime rex, domine noster graciosissime. Voces nostras querulosas mayestati vestre innata clemencia dignetur exaudire benignius, coram solio celsitudinis vestre, que est piia, consolatrix, et tutrix omnium indebite oppressorum ad eam confugencium. Dolenter proponimus contra et aduersus N., palatinum nostrum, qui gerens se pro conseruatore, tutore, defensore iurium et consuetudinum nostre ciuitatis predicte, nos grauatur nimium et oprimit minus iuste: statuta, consuetudines laudabiles, et ab antiquo obseruatas nostre ciuitatis predicte infringendo; familiares suos molestias, perturbaciones, violencias, rapinas incolis ciuitatis dicte sepissime et publice inferentes, non retrahendo. Clemenciam vestram igitur rogamus humiliter, quatenus predicto palatino regalibus vestre clemencie in mandatis dare dignemini graciose; ne de cetero nobis molestias predictas inferre presumat, et consuetudines seu statuta, ab antiquo in dicta ciuitate obseruatas, infringat quocumodo etc.

N. 204.

Iohannes de C. (T?) castellanus Cracoviensis s.l. s.d.
iudici Sandomiriensi etc.

Io. de B. de transgressione terminum excusat

F. 58 v. Littera aperta ad iudices.

Uniuersis et singulis dominis, iudici, subiudici, generalibus

F. 59 r. terre Sandomir(iensis), et ipsorum camerariis iudicio Wisli(censi) uel Sandomir(iensi) presidentibus. Johannes de C.^{a)} castellanus Crac(ouiensis). Amiciciam sinceram et omne bonum. Amici carissimi. Quia nobilis Jo. heres de B. coram nobis, feria quinta ante dominicam Ramispalmarum, terminos racione mille marcarum habuit quibusdam cum personis, propter quod terminos coram vobis habitos non valuit comode attemptare, unde id efficere dignemini, quod idem Jo. in suis causis coram vobis habitis non paciatur aliquod preiudicium^{b)}, iacturam, uel gravamen. Datum tali die, loco, nostro sigillo sub appresso.

a) vel « de T. ».

b) glossa supra lineam: « dampnum ».

N. 205

Princeps ecclesiasticus s.l., s.d.
regi ignoto
de civibus civitatis C. (T?), silvas vastantibus, conqueritur

F. 59 r. Dominus conqueritur supra ciues.

Magnifice princeps, compater et domine karissime. Vestre mayestati significamus cum querela, quod ciues uestri C.^{a)} silwas nostras et

ecclesie, sicut in bonis nostris prope Swinycz, succindunt indebite et devastant; et quamvis eis super eo aliquociens scripsimus seriose, et uellemus nos remittere ad testimonium seniorum, qui resident in vicino, quod quid hii super silvis testificarent predictis, staremus nos contenti: ipsi uero hoc actenus minime aduerterunt, sed dictas non cessant deuastare, contra jus et ecclesiasticam libertatem. Vestram igitur rogamus gratiam cum affectu, quatenus dictos ciues dignemini informare, ut nos et ecclesiam nostram in iure nostro non impendant, nec super siluis huiusmodi molestant. Quod apud vestram recognoscimus noticiam, Domino fauente, tempore oportuno. Datum die etc.

a) vel « T. ».

N. 206

s.l., s.d.

*P(etrus) episcopus Cracoviensis
ad canonicos ecclesiae collegiatae in Opatów;
de sumptis pro eiusdem ecclesiae reparatione*

F. 59 r. Episcopus ad canonicos pro necessariis ecclesie comparandis.

P(etrus), Dei gracia episcopus Crac(ouiensis). Discretis uiris ebdomadaram ecclesie nostre colegiate uel katedralis Sancte Marie in Opatow et aliis qui presentibus requisiti ^{a)}. Salutem in Domino. Cura solliciti pastoralis officii nos exigit et postulat, ut subditorum regimini et diuini cultus exercicio diligentius incedamus. Nuper itaque in ecclesia colegiata predicta Sancte Marie nobis existentibus, per diligentem inquisitionem plures defectus inuenimus in eadem, qui propter absenciam aliquorum prelatorum et canonicorum dicte ecclesie verguntur in detrimentum animarum. Nam licet eidem prelati et canonici predictae ecclesie redditibus et prouentibus copiose uideantur habundare, tandem predicta ecclesia Sancte Marie colegiata in pluribus, tam in ornamentis quam et in aliis necessariis est nimium defectuosa; et quod deterius, in suis edificiis et structuris rugina minatur. Nos uero ecclesie predictae cupientes prouidere de remedio oportuno, tibi, ut tenemur ^{b)} in uirtute sancte obediencie et sub excomunicacionis pena, mandamus: quatenus, publice proponendo, in ecclesia memorata omnes et singulos prelatos et canonicos eiusdem ecclesie moneas. Quos et nos presentibus moneamus, ut infra hinc et diem sancti Michaelis uenturum proxime inclusive, quadraginta marcas omnes et singuli sup festum Purificacionis Sancte Marie nunc proxime uenturum, capitualiter conuenientes ad dictam ecclesiam componant, iuxta exigenciam ipsorum beneficiorum, pro fabrica et reformacione ecclesie

F. 59 v. eiusdem. Quas quidem ^{c)} pecunias honorabili viro domino M., custodi supradicte ecclesie, dent et cum effectu assignent, quem titulo procuratoris ad hoc factum elegimus vigore presencium; ita tamen, quod idem dominus custos de impensis ^{d)} et preceptis eisdem prelati et canonicis racionem faciet realem. Nichilominus mandamus et comittimus dicto custodi, ut contra rebelles et absentes, auctoritate nostra ad ulteriora procedat censura ecclesiastica mediante. Datum tali die, sigillo sub ab(penso).

a) sic in ms.

b) hic in ms. legitur iterum « tibi ».

c) in ms. « quidam ».

d) in ms. « inpnessis ».

*Nicolaus de C. (T.?) palatinus Cracoviensis
ad nobiles universos;
vocat eos ad repellendam Procopii marchionis Moraviae invasionem*

F. 59 v. Palatinus ad nobiles pro suffragio.

Uniuersis et singulis baronibus, militibus, armigeris, ceteris nobilibus, presencium noticiam habituris. Nicolaus de C.^{a)} palatinus Crac(ouiensis). Sinceri amoris continua incrementa. Strenui nobilesque domini, amici nostri et fratres carissimi. Quia crudelis princeps Procopius, marchio Moraviae, nescimus quo spiritu ductus, swadente dyabolo denuciis^{b)} non exigentibus, contra Deum et iusticiam, tamquam lupus rapax, nos et barones nostros depredare intendens, nobis, nostris, nostrorumque subditorum possessionibus et hereditatibus devastacionem, oppressionem et corruptelam cominando difiniuit; idcirco vestris amicitiiis attentis supplicamus desiderantes, et de vobis plurimum in Domino confidentes, quatenus ad obuianandum et rebellendum hosti nostro predicto consilium et auxilium nobis prebere, quam cicius poteritis, velitis fauorosum. Promittimus eciam omnibus, et vestrum cuilibet, bona fide stare pro omnibus dampnis rerum et ductorum vestrorum omnium, que in equitando ad nos, et dicto nostro conflictu, et felici et propria via regressu, percipere et incurrere vos accideat, aut vestrum alterum acciderit. Et nichilominus, cuilibet vestrum qualibet septimana ratione stipendii super hastas quatuor marcas Polonicales, per tempora, quibus nobiscum duxeritis stare, soluemus cum effectu. Spolia eciam, quecumque concurrerint in huiusmodi conflictu, vestrum quilibet per se reportabit, ulla porcione cum nobis exhibita. In eorum robur sigillum meum presentibus est appensum. Datum feria 3-a, etc.

a) vel « de T. ».

b) sic in ms. cum glossa supra lineam « excessibus ».

*Iacobus episcopus Cracoviensis
universis;
oppidanos Iohannem et Annam de C. (T.?) de matrimonio non consummato dispensat*

F. 59 v. Littera diuorcii id roswezene.

Jacobus, Dei gracia episcopus Crac(ouiensis). Ad quorum noticiam presentes nostre peruenerint. Significamus quibus expedit uniuersis: quod cum quidam Johannes, opidanus opidi C.^{a)} nostre diocesis, Annam mulierem, quam C.^{b)} desponsauerat, ad nostram presenciam euocari^{c)} procurasset; in termino eiis asignato, ambobus cum parentibus coram nobis personaliter constitutis, idem Johannes A. mulierem predictam sibi adiudicari petiit ad uxorem; ea asserente, quod licet per eum desponsata fuerit, tamen numquam ipsam carnaliter cognovisset; et quod ab eo incognita permansit, certe conceperimus neque eadem mulier intendebat matrimonium, cum in annis processisset, carnali copula consummare. Sed

F 60 r. coram nobis, ut ante, coniunctis manibus se deuouit religioni beati Augustini, promittens seruare perpetuam castitatem. Cumque secundum canonum instituta, ante carnalem copulam, alter coniugum religionem intrare poterit, et se religioni certissime^{d)} deuouere; repugnante eidem mulieri certum tempus prefiximus, ab ipsa acceptum ultro et gratuite, infra quod votum suum per suscepcionem habitus religiosi solemniseret; et ab ea caucionem suphicientem recepimus. Unde credimus mulierem predictam non esse ad memorati Johannis consortium compellendam; et, ut id Jo(hannes) ualeat ad alia uota conuolare matrimonialia, non prohibemus. Actum et datum sigillo subappenso nostro etc.

a), b): vel « T. ».

c) in ms. glossa super lineam: « citare ».

d) hoc uerbum bis repetitur.

N. 209

*Ignotus princeps
universis;*

s.l., s.d.

de conductu dando N. de C. (T.), legato

F. 60 r. Ut necessaria darent ad conductum alteri.

Uniuersis et singulis capitaneis, uoyeuodis, procuratoribus, aduocatis, ciuibus aliis omnibus et singulis, castellanis, ciuibus opidorum, curiis nostris presidentibus, harum noticiam habituris. Salutem et omne bonum. Vos uniuersos et uestrum quemlibet singularem requirimus et hortamur, ac distincte uobis precipimus: quatenus nobili N. de C.^{a)}, nostro fideli dilecto, presencium ostensori, quem ad alias partes nostris in legacionibus duximus transeundum, in hiis, que promocionem sui itineris pariter et suorum concernunt, dum ad tenutas uestras peruenerit, fauorabilem et beniuolam ostendere debeatis uoluntatem; prouidendo sibi et familie sue ad plenum de omnibus necessariis securitatem. Nichilominus, si oportunum fuerit, extiterit^{b)}, eidem conductum ordinantes. Aliud non facturi, gracie nostre sub optentu.

a) vel « de T. ».

b) « fuerit extiterit »: sic in ms.

N. 210

Cracouiae, die s. Urbani 1407

*Wladislaus (II) rex Poloniae
Nicolao de P.
villas donat "iure feudali"*

F. 60 r. Priuilegium perpetue donacionis.

In nomine Domini, amen. Decet excelenciam principum suorum subditorum comodis et utilitatibus intendere; ut dum eorum profecti-

bus invigilent, ipsos in horum ...^{a)} sui promociione et seruiciis sencient promciores. Nos igitur Wladislaus, Dei gracia rex Polonie etc. Ad perpetuam memoriam. Volumus ex tenore presencium deuenire, quod inscriptis fidelibus et comendabilibus obsequiis Nicolai dicti P. fidelis nostri dilecti, nobis plurimum exhibitis, et adhuc aucto fidelitatis studio, nobis et nostris successoribus posteris, futuris temporibus, crebrius exhibendis, maturo nostrorum baronum et prelatorum consilio prohibito diligenti, de nostre largitatis magnificentia speciali, eidem Nicolao et suis heredibus et legitimis successoribus villas nostras M. in districtu Lambur(gensi), et C.^{b)} in districtu Sandec(ensi) sitas, cum omnibus et singulis earundem villarum pertinenciis, iuribus et dominiis, prouentibus, obuentionibus, censibus, redditibus et^{c)} ceteris emolumentis, prout dicte ville in suis metis limitate sunt circumferencialiter et districte cum agris cultis et incultis et de nouo extirpendis, pratis, pascuis, siluis, virbetis^{d)}, mericis, nemoribus,

F. 61 r. (sic) venacionibus, auccupacionibus^{e)}, mellificiis, montibus, collibus, vallibus, planiciebus cum aquibus^{f)}, aquarum^{g)} decursibus, piscinis, lacubus, stagnis, paludiebus ceterisque omnibus et singulis pertinenciis, utilitatibus et usifruitibus, pro nunc in eisdem villis existentibus, prout easdem villas soli tenuimus et ipsis usui sumus, nullis penitus exclusis, damus, conferimus et donamus prenominato Nicola(o), et suis heredibus et legitimis successoribus, hereditario jure feudali, ea libertate et consuetudine, qua certi nostri vasalli bona sua possident temporibus perpetuis, possidendas, tenendas, habendas, obligandas, comutandas, vendendas cum nostra voluntate, et usus suos benepalacios conuertendas; hoc tamen excluso, quod singuli kmetones dictarum villarum, nobis et nostris successoribus de qualibet curia possessa singulis annis in festo sancti M. quatuor grossos Bohemicales soluere, pro censu nostre curie uel camere, sint astricti; et quod prenominatus Nicolaus et sui heredes et legitimi successores, de prescriptis villis^{h)} et nostris posteris, cum duabus hastis et duabus balistariis, in equis et armis bene valentibus et preparatis, quocienscumque in dicta terra nostra S. necessarium fuerit, et expedicione quacumque proclamata, publice seruire tenebitur. Promittimus insuper dicto N(icolao) et suis heredibus, quod si aliqua dampna notabilia in nostro exercitu, sub nostro bannerio, in equis interfectis perceperint, uel detenti seu capti fuerint, talia dampna omnia restituere ad plenum, et ab huiusmodi captiuitate absque ipsorum dampnis hosdem liberare; taliter eciam, quod prenominatus Nicolaus in dicta terra nostra S. debeat mansione permanere, ac una cum uxore et pueris suis personaliter residere, prout se ad hoc specialiter obligauit. In cuius rei thestimonium presentes fieri iussimus, et nostri sigilli maioris appensione roborare. Actum et datum Cracouie, in die sancti Urbani, feria quarta, anno Domini M^oCCCC^o septimo, presentibus strenuis et nobilibus viris. domino Nicolao etc., nostris fidelibus dilectis testibus ad premissa etc.

a) hic spatium album: (macula).

b) vel « T. ».

c) in ms. glossa supra lineam: « allis », in linea « elimo » deletum.


d) sic in ms.: polonismus « wierzbina » (?); alia lectio: « rubetis ».

e) glossa supra lineam: « ubi aves capiuntur ».

f) sic in ms.

g) in ms. « ul » deletum.

h) hic videtur omissa vox « nobis ».



Ignotus notiois "meriti" distinctiones in tabula schematica praesentat
 F. 60 v.

judicialis, que docet
persuadere, quid jus-
tum, quid honestum,
quid inhonestum, quid
utile, quid inutile

Artificialis

demonstrativa est, que
docet, quid sit laudabi-
le, quid vituperabile

est scientia seu disci-
plina persuadendi ut-
rumquodque

moralis, que docet si-
gnis probabilibus per-
swadere

continens perswadibile
cum signis probabilibus
et reputatione dictan-
di etc.

Omnis rethorica est
scientia docens justum
verumque perswadere,
contrarium fugere, or-
nata ac moderata viis
et principiis

Sermocinalis est ars seu
scientia inveniens
perswasiua congruenter
2m^a) talium disponens
viis eloquencie in me-
moria reuellans ultimo
wlto gustu causa mode-
ranter pronuncians in
qua tangit. V. instru-
menta rethorice ^{b)}.

Sermocinalis: alia ab-
soluta sine contractio-
ne, et non distinguitur
a grammatica, que so-
num fundatur super
congruum et incon-
gruum

Sermocinalis: alia con-
tracta dicitur, quoad
decorem et colorem
etc.; dicitur artificialis
et doctrinalis

Sermocinalis usualis:
est promtitudo seu abi-
litas aquisita per fre-
quentem usum artifi-
ciose dictandi

a) sic in ms.: numerus arabicus.
b) sic in ms.

Sed quibus rethorica est scientia docens quemcumque materiam poetice seu orate perswadere.

*Wladislaus (II) rex (Poloniae)
universis;*

*ratificat litteras Iohannis de Tarnów, palatini Cracoviensis, super villam
P. in districtu Sandomiriensi*

F. 61 r. Aliud privilegium

In nomine Domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam: Wladislaus, Dei gracia rex etc. Significamus uniuersis quibus expedit, tam presentibus, quam futuris, presencium noticiam habituris: quod pro parte nobilis Nicolai heredis de C.^{a)}, fidelis nostri, peticio nostre celsitudini oblata continebat, quare litteram strenui Iohannis palatini Crac(ouiensis),

F. 62 r. (sic) fidelis nostri dilecti, super sculteciam villam^{b)} P. in districtu Sandomir(iensi) sitam, ratificare, approbare, innovare et confirmare de innata nobis clemencia dignaremur. Cuius quidem littere tenor de uerbo ad uerbum sequitur et est talis:

In nomine Domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Johannes, heres de T.^{c)}, ad uniuersorum noticiam, tam presencium quam futurorum, per hec scripta volumus deducere: quod considerantes seruiciorum continuam et constantem utilitatem nobilis viri N(icolai) de C.^{d)} in causis et negociis regalibus et nostris, constanter exhibitam, et in posterum per ipsum et suos successores legitimos exhibendam, damus dedimusque presentibus, ex consensu serenissimi principis ac domini, domini W(ladislai), Dei gracia incliti, sibi et suis successoribus legitimis sculteciam in P. sitam in districtu Sandomir(iensi), ad may(o)rem amolioracionem^{e)}, dictam villam P. ac utilitatem. In quaquidem scultecia mansos seu laneos, quo plures ibidem poterit, debet locare iure Theotonico Magdeburgensi. Racione cuius scultecie et locacionis, pre-nominatus N(icolaus), et sui successores legitimi, habebunt duos mansos liberos, thabernam, tercium denariorum de re iudicata, sextum uero de censu; insuper dictus N(icolaus), et sui successores legitimi, dictam scultetiam habebunt, tenebunt, possidebunt donandam, vendendam, commutandam, pro sua suorumque successorum voluntate, libere conuertendam: nostro tam uel alterius capitanei, qui pro tempore fuerit, consensu et voluntate appositis. Propterea sculteciam et incolas iam dicte ville absoluiimus, eximimus et perpetuo liberamus ab omnibus iudicibus et iurisdicionibus omnium iudicum; ita quod pro causis quibuscumque, tam magnis quam parvis, coram nullo alio iudice respondere tenebuntur kmetones, nisi^{f)} coram suo sculteto; scultetus uero dumtaxat coram nobis, uel coram alio capitaneo, qui pro tempore fuerit, aut coram procuratore, qui per capitaneum instituto^{g)}; qui dum citati extiterint, de se querulantibus suo iure Theotonico respondebunt. Ut autem pre-nominatus N(icolaus) scultetus, aut sui successores legitimi, cicius feliciusque iam dictam villam P. locare possit: omnibus incolis predicte ville, locatis et locandis, a solucione census et aliis solucionibus, exaccionibus, quibuscumque nominibus aut titulo nominentur, a data presencium plenam et omnimodum conferimus libertatem. Quali libertate elapsa, quilibet kmeto, de quolibet manso, singulis annis in festo sancti M., domino regii predicto et suis successoribus, pro censu unam marcam grossorum Pragensium soluere tenebuntur. De qua eciam scultecia predictus N(icolaus) et sui successores legitimi, domino regii et suis successoribus, quo-

ciescumque necesse fuerit, cum una balista ad expeditionem seruire tenebuntur. In cuius regi thestimonium, nostrum sigillum presentibus est appensum. Actum et datum, ut in predicto...

F. 62 v. Nos itaque, dignis et iustis petitionibus predicti N(icolai) benignius acclinati, prescriptam Jo(hannis) de Tarnow litteram in omnibus suis articulis, clausulis, punctis et condicionibus ratam habentes, perpetuo atque firmam ipsam ratificamus, aprobamus, innovamus, deconfirmamus, decernimusque. Robur perpetue firmitatis obtinere harum nostrarum, quas appensioni sigilli nostri muniri fecimus, testimonio litterarum. Actum et datum ut supra.

a) in ms. « Nicolais heredis de C. (vel T.) ».

b) sic in ms. (scultecia villa).

c) « de T(arnów) », ut infra.

d) vel « de T. ».

e) sic in ms.

f) in ms. « nisi kmetones ».

g) sic in ms.

N. 214

s.l., s.d.

Ignotus;

tabella formularum salutationum in epistolis secundum gradus

F. 61 v. (sic) Summus gradus secularium.

Meritum innate dignitatis est triplex:

Summus:

Ut imperatores, reges, duces, marchiones, landgrauui, comites, palatini, maiores, in quibus scribuntur adiectiuales determinaciones posita ad merita: magnifico imperatori, magnifico duci, serenissimo, potentissimo, inclito, preclaro, excelentissimo, sublino, illustrissimo viro; inclitus est princeps quiuis, potens illustrisque, serenis, magnificus, clarus excellentissimoque^{a)} celsus.

Medius gradus:

Comittes, vicecomites, burgrawii, liberi barrones, in quibus scribuntur: egregio viro, generoso viro, eximio viro, ingenioso viro, spectabili etc. Ingenius: baro; comes: nobilis et graciosus.

Infimus:

Milites, militales, faselli, in quibus scribuntur: strenuo viro, forti viro, famoso viro; vero strenus sit milles, famosus, exprimabilis.

Prudens sit cuius; sed honestus sit tibi diues. Sapiens sit doctor arcium, quoque magister. Ingeniosus erit artis possessor, qui sibi querit parans^{b)} preclarus, amabilis et amandus.

Summus spiritualium:

Dicas: sanctissimum, piissimum, papamque beatum. Is dat salutem papalemque benedictionem.

Ast reuerendus patriarcha sit cardinalis pater in Christo.

Medius:

Archipresul, quoque presul; hii dant salutem, fauoremque, amorem: honorabiles, honorandi, venerandi.

Abbas: reuerendus, venerabilis ac venerandus; sit prepositus atque decanus quippe scolasticus: honorabilis atque custos.

Infimus:

Sacerdotes: discreti; scolares: beniuoli, attenti, dociles; rectores: industriosi; baccalarii: scientifici, studentesque: studiosi.

Affectus summi gradus: salutem apostolicam, benedictionem; salutem in sempiternum.

Affectus equalibus: salutem sempiternam, in domino karitatem.

Principes inter se: salutem et desiderium omnis boni. Inferioribus se: salutem et fauorem, gratiam et fauorem, fauore iugiter precurrente, salute preascripta cum fauore omnis boni, salus omnis boni graciaque dilectis. Ordinis supremi salus hec noscitur esse: gracia sit salus fauorque bonum omne.

Equalibus: fauorem et benivolenciam; salute karitativa sedule pre-directa obedit; obsequitur; amat; fouet subiciturque. Ordo medius pate-scit: tibi salutandus. Fawor notat mediorum, quibus subiciuntur fidele seruicium et obedienciam, obsequium, et voluntatis promittitudinem.

Gradui postremo tibi competit salutem fari; seruit et obedit; promouet; fouet; complacet; inde...^{c)}.

a) b) sic in ms.

c) hic in ms. bis invenitur littera « w » deleta.

N. 215

s.l., s.d.

*"Nicolaus dux Poloniensium"
universis;
de permutatione villarum*

F. 62 v. Privilegium perpetue commutationis.

In nomine Domini, amen. Cum omnium habere noticiam memoria-rum pocius diuinitus sit, quam humanitus, condicionis humane fragilitas remedium sibi quesivit, ex quo fauore^{a)} naturalis^{b)} vigor sumi deficit opificis^{c)}. Ne igitur gesta hominum, que aguntur in tempore, simul cum lapsu temporis ab humano recordio euenescant^{d)}, dignum est, ut fide dignorum testium amunicula^{e)} et literarum ministerio perhenentur^{f)}. Proinde nos Nicolaus, Dei gracia dux Poloniensium^{g)}, significamus uni-versis et singulis, presentibus et futuris, harum notitiam habituris: quod certis et rationabilibus causis animum nostrum ad hoc mouentibus, ac-cedente consensu concordii fidelis nostri dilecti, ac hincinde concurrente voluntate: villam nostram, dictam vulgariter C. h), in districtu L. sitam, in fluuio Wisla, cum eiusdem ville pertinenciis, censibus, ut in priori priuilegio, ac iuribus uniuersis, prout ipsam soli tenuimus, proutque in graniciebus¹⁾ suis ab aliis heredibus longe lateque et circumferencia-li(ter) ab antiquo distincta est et limitata, nichil juris seu domini preter infra scripta in ipsa villa pro nobis vel nostris successoribus re-servantes, dicto Nicolao, et suis heredibus et legitimis successoribus, pro villa sua, P. vulgariter dicta, comutauimus, dedimus, contulimus, asi-gnavimus, comutamusque, conferimus, et comutationis titulo perpetuo asignamus. Quam quidem villam P., cum eius pertinenciis, censibus etc. ut supra, ipse et sui heredes et successores legitimi, jure hereditario feodali^{k)}, ea consuetudine, qua ceteri terrigene nostri districtus prefati bona eorum perpetuis temporibus possidebunt, tenebunt, vendent, uti-fruent, comutabunt, et in usus suos beneplacitos seu necessarios conuer-terent, secundum quod eis utilius expedire videbitur; hoc tantum excluso, quod singuli kmetones in prefata villa de qualibet curia possessa, sin-gulis annis in festo sancti M. confessoris, duos grossos latos pro censu nobis et nostris successoribus exsoluere sint astricti. Decernimus pre-

terea et volumus, quod dictus N(icolaus) et sui successores legitimi, de iam dicta villa P., cum una hasta et duobus balistariis in armis bene preparatis, equis quoque valentibus, nobis et nostris successoribus, quociens

F. 63 r. ad expeditionem fuerint vocati, seruire tenebuntur. Harum quidem sigillum nostrum est appensum testimonio litterarum. Actum et datum ut supra etc.

- a) supra lineam glossa: « structe ».
- b) supra lineam glossa: « humana ».
- c) supra lineam glossa: « Del ».
- d) supra lineam glossa: « cadent ».
- e) supra lineam glossa: « iuramen ».
- f) supra lineam glossa: « perpetuantur ».
- g) sic in ms.
- h) vel « T. ».
- i) supra lineam glossa: « metis ».
- k) supra lineam glossa: « bono ».

N. 216

s.l., s.d.

*Semovitus dux Masoviae
universis;*

de locatione civitatis M. in territorio Plocensi viro N. de V.

F. 63 r. Privilegium perpetue locacionis.

In nomine Domini, amen. Nos Semovitus, dux Mazovie, ad uniuersorum tam presenciam quam futurorum deuenire volumus nocionem^{a)}, quod cupientes terram nostram M. per civitatum locacionem mayoribus utilitatibus ampliare^{b)}, cum ex desertis nullum penitus fructum habemus, nobili viro N. de V. ciuitatem, in loco ubi villa dicta B. sita fuit, in territorio nostro Plocensi, de nouo locandam iure Teutonico Magerbur(gensi) plenam et omnimodam concedimus facultatem. Nomen eidem ciuitati imponimus M.; adiungimus eidem ciuitati centum laneos Franconicos^{c)}, ad ecclesiam uero duos; et ad pascua seu propellendum gregibus quattuor, exclusis prescriptis, volumus pertinere; conferentes dicto N., et suis heredibus et successoribus legitimis, aduocaciam in eadem ciuitate, ad quam sex mansos liberos macella carniuum, bancos pannorum sutorum, stubam balnearem institas volumus pertinere; molendiaque in flumine^{d)} Pilcza edificare debet, quotquod poterit. Insuper tercium denarium de iudicio nobis^{e)} reseruato, sextum uero de censu, ad dictum N. et ad suos posteriores, et ad eandem aduocaciam, volumus libere perpetuis temporibus iure hereditario pertinere. Habebitque dictus N. prescriptam aduocaciam, et sui successores legitimi. Vendet, comutabit, possidebit, utifruet, obligabit, cum nostra tantum voluntate, et ad usus beneplacitos conuertet. Addicimus eciam, quod dictus N., et sui heredes legitimi successores, nobis et nostris successoribus cum una hasta et duabus balistariis, in equis valentibus, ac armis decentibus, quociens fuerit oportuno, seruire tenebuntur. Singuli quoque dictorum laneorum cultores et nostris posteris .XX. grossos latos annis singulis, et temporibus perpetuis, pro censu in festo sancti M. soluent cum effectu. Remouemus eciam ab eadem ciuitate nostra, et ab omnibus incolis seu inhabitatoribus ipsius, omnia iura Polonica seu Ruticanalia^{f)}, et angarias et consuetudines uniuersas, que ipsum jus Theutonicum perturbare seu impedire consueuerint; abso-

luentes, et excipientes dictum advocatum, et heredes eius et successores, ciues et incolas eiusdem ciuitatis nostre, a potestate omnium palatinorum, castellanorum, iudicum et subiudicum, ac eorundem ministerialium; ita quod coram ipsis pro causis, tam magnis quam parvis, minime tenebuntur respondere, nisi dumtaxat ciues et incole dicte ciuitatis coram avvocato. Avvocato uero et eius posteri coram nobis aut iudice nostro seu capitaneo generali,

F. 63 v. dum per litteram nostram, sigillo nostro munitam, euocati fuerint, suo iure Theutonico de se querulantibus respondebunt. In causis autem criminalibus et capitalibus, ac quibusvis aliis, avvocato et suis posteris iudicandi, servandi et puniendi, secundum, quod ipsum ius Theutonicum postulat et requirit, plenam et omnimodam concedimus facultatem. Potestatem habebitque etiam dictus N. et sui successores infra metas dictarum centum laneorum venandi et piscandi liberam facultatem. In cuius regi thestimonium presentes fieri iussimus, et nostri apensione sigilli maioris roborari. Actum et datum ut supra.

a) in ms. « nacionem »; glossa supra lineam: « noticiam ».

b) glossa supra lineam: « augmentare ».

c) glossa supra lineam: « sic dictos ».

d) in ms. « in fluminis ».

e) in ms. « nobis de nobis ».

f) sic in ms.

N. 217

s.l., s.d.

*W(ladislaus II) rex Poloniae
universis;*

litem componit inter rectorem ecclesiae parochialis et nobiles

F. 63 v. Priuilegium concordie.

In nomine Domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quia tunc multorum errorum, licium et dubiorum incomodis prudenter occurramus, dum gesta etatis nostre litterarum apicibus et testium annotatione perhennamus; proinde nos, W(ladislaus), Dei gracia rex Polonie etc., ad uniuersorum noticiam, tam presencium quam futurorum, per hec scripta deducimus: quod iurgiorum et displicenciarum materias inter N., rectorem ecclesie parrochialis in C.^a), parte ad una, et nobiles A., B., C., D., parte ab altera, actenus motas et habitas; per salubrem compositionem cupientis dirimere et controuersias ipsorum amputare: ut ipsi, alterutrum uniti per nostram celsitudinem, sub nostro felici^b) regimine, in pure caritatis perseuerent dulcedine, et Creatoris nostri clemenciam pro nostra salute non desinant liberius exorare. Quantum igitur ad articulum, in quo fomes ipsorum displicencie pocior appetebat, mediante prelatorum et baronum nostrorum ad hoc specialiter vocatorum consilio, statuimus, per utramque partem inuolabiliter observari volentes: ut omnes incole villarum B., C., D., E., F., agros colentes, pro dacione decime, quam ipse rector ecclesie per deputatorum frumentorum genera extorquere satagebat per duplicatam pecuniam, que prius per simplicem soluebatur, de quolibet laneo seu maso eidem plebano et suis successoribus perpetuis temporibus exsoluatur; ita videlicet: quod quilibet kmeto agros colens, qui prius sex grossos soluebat de laneo, .XII. latos grossos soluere tenebitur. Et ut prescripta omnia in firmiori robore permaneant, vadium centum sexagenas inter plebanum et eosdem nobiles

valamus et presentibus vallemus; decerentes, quod quicumque parcium premissarum dictum statutum nostrum temerarie violauerit, vadium huiusmodi .C. sexagenarum, quarum quinquaginta nobis et quinquaginta parti

F. 64 r. violenciam passe solui volumus, irremisibiliter debeat expagare. Harum, quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio litterarum. Actum et datum etc., presentibus etc.

a) vel « T. ».

b) in ms. « celsitudinis » deletum.

N. 218

Iohannes heres de C. (T.?)

s.l., s.d.

universis;

de donatione bonorum ecclesiae S. Mariae in C. (T.?)

F. 64 r. Priuilegium donacionis ad ecclesiam.

In nomine Domini, amen. Ad cunctorum nocionem, presencium et futurorum. Ego Johannes, heres de C.^{a)}, presencium tenore volo peruenire: quod cupiens diem districti iudicii piarum elemosinarum largicione preueniente, terrenaque in ecclesiastica, et transitoria in eterna, felici comutatione comutare, ad ecclesiam sancte Marie in C.^{b)}, et ad rectores eiusdem pro tempore factos, sinceri cordis animum et deuocionem gerens singularem, pro reparacione et fabrica ac ornamentis, consumptioneque structurarum eiusdem ecclesie, tabernam in fluuio, qui dicitur L., una cum teloneo ibidem, pro sospitate ac salute mea, necnon consortis mee care, pariter ob remedium salutare animarum progenitorum meorum, donacione perpetua dedi, contuli, et donauit cum omnibus ditorum taberne et teoloneii utilitatibus, prouentibus et emolumentis, prout eadem solus tenui, nichil penitus excipiendo: habendam, tenendam, possidendam per rectores dicte ecclesie, temporibus futuris perpetuis. In eorum robur et euidens testimonium, sigillum meum presentibus est appensum. Actum et datum ipso die sancti N., anno Domini etc. Presentibus strenuis et nobilibus viris, uel prouidis dominis D., B., C., etc., ciuibus etc. etc.

a) b): vel « T. ».

N. 219

Cracoviae, s.d.

Wladislaus (II) rex Poloniae

universis;

de restitutione N. heredis de C. (T.?) ad suam gratiam

F. 64 r. Rex parcit iram militi.

Wladislaus, Dei gracia rex Polonie. Uniuerssis et singulis burgrawis, castellanis, iudicibus, consulibus, omnibusque aliis et singulis regni nostri P(olonie) subditis, per castra, ciuitates, et opida nostra ubilibet constitutis, fidelibus nostris dilectis noticiam presencium habituris. Graciam reginalem^{a)} et omne bonum. Quia nobilem N., heredem de C.^{b)}, de innata nobis clemencia ad graciam et ad obsequia reasumpsimus priora, penam excessuum, pro quibus in regno nostro accusatus extiterat, eidem benignius ignoscendo et graciose relaxando; quodcirca vobis omnibus

et vestrum cuilibet presentibus committimus seriose et mandamus: quatenus predictum N., fidelem nostrum dilectum, pro reasumpto et gratie celsitudinis nostre restituto, plenius exnunc prout in antea ferimus, debeat hoc ipsum in foris et locis publicis facientes proclamare, non permittentes eundem, ratione dictorum excessuum suorum, inter et extra iudicia vestra qualibet, inturbari. Harum quibus sigillum nostrum est appensum. Datum Cracouie, anno Domini etc.

a) sic in ms.

b) vel « de T. ».

N. 220

(Wladislaus II rex Poloniae?)

Cracoviae, s.d.

universis;

salvum conductum Nicolao heredi de C. (T.?) concedit

F. 64 r. in imo Super eadem materia.

Quia Nicolao heredi de C.^{a)}, presencium ostensori, treugas pacis et conductum securum dedimus gracie in omnibus castris, ciuitatibus, et opidis

F. 64 v. nostris predictis^{b)}; quocirca vobis et vestrum cuilibet districte precipiendo mandamus: quatenus dictum N(icolaum) circa premissa nostrum conductum saluum et securum inuolabiliter conseruetis tamdiu, donec id dixerimus expresse reuocandum. Datum Cracouie, nostro sigillo subappenso, anno Domini M^o...

a) vel « de T. ».

b) sic in ms.

N. 221

A(lbertus?) episcopus Cracoviensis

s.l., s.d.

ignoto;

jubet S. heredem de C. (T.?) monere, ut decimas solvat

F. 64 v. Episcopus ad plebanum scribit.

A(lbertus?), diuina Dei gracia episcopus Crac(ouiensis) etc. Discrete vir. Vobis ingiungimus sub mandato: quatenus S. heredem de C.^{a)} litteratenus humaniter^{b)} pariter et honeste moneatis nostro nomine, pro satisfacione congrua decimarum. Sin autem, ipsius cum proteruia noluerit penitentiam facere, de premissis mox eundem Crac(oviam), nostri ad officii presenciam, appellabitis diligenter. Datum in K.

a) vel « de T. ».

b) in ms. « homi...b... ».

N. 222

s.l., s.d.

Archiepiscopus Gnesnensis

ad A(lbertum?) episcopum Cracouiensem;

monet de mercatura sacramentorum a sacerdotibus dioecesis Cracouiensis facta

F. 64 v. Archiepiscopus episcopo.

Ff., diuina et apostolice sedis prouidencia archiepiscopus Gnesnensis ecclesie. Reuerendo in Christo patri ac domino A(lberto?) etc., ecclesie

episcopo Crac(ouiensis) etc. Salutifera karitate in domino preparata. Pater reuerende. Sermonibus fuimus informati veridiciis, vestro in episcopatu pastores ecclesiarum mercantur sacramentis; ut dicitur baptismum et pariter sepulturam vulgo denegant, munusculis aliquibus, si non fuerint premiati. Cum igitur talia sunt contraria Deo simul et fidei christiane, vestram hortamur reuerenciam iugiter iniungentes etc. seriose: quatenus vestrum clerum taliter informare dignemini pestifera ut ^{a)} desinant salutifera amplectendo. Alioquin diuinam plagam, quod absit ^{b)}, nullatenus fugeremus. Datum in C.

a) in ms. « non ».

b) glossa supra lineam: « quod Deus afferat ».

N. 223

*P(etrus?) episcopus Cracoviensis
archiepiscopo Gnesnensi;
de eadem materia*

s.l., s.d.

F. 64 v. Rescriptum huius archiepiscopo.

Reuerendissimo in Christo patri et domino, domino Ff. archiepiscopo, presuli Gnesnensis ecclesie. P(etrus), diuina et apostolice sedis prouidencia episcopus Cracouiensis. Karitate salutifera preuita, oracionibus cum deuotis. Reuerendissime pater et domine. In diebus primeis nostri pastoratus, comperientes multa enormia nostro in episcopatu, nociua saluti animarum, extirpamus radicitus; ita speramus queadmodum inibidem nociui nichil amplius permanere. Unde vestre paternitati obuiamus humillime supplicantes, quatenus vestra paternitas nos informaret benignius, aliqua si perniciose in nobis nouerit, quibus oues Domini fuerint negligencia postergate. In hiis operamini nostras prout preces vestre sospitati retinere gliscitis, ut frequenter... Datum etc.

N. 224

*Iohannes studiosus
patri suo;
de debitis*

s.l., s.d.

F. 64 v. Studens patri.

Dilecto patri S., cui in K. Premissa obediencia iugiter fillali. Pater amatissime. Ad hostium vestre paternitatis pellor monitibus operossis: quatenus sex marcas grossorum vestre dilectioni mutuatas et concessas nunccium per presentem destinetis ^{a)} michi,

F. 65 r. omni negligentia penitus segregata, alioquin vestram karitatem aduersus, licet inuitus, iure progredior spirituali. Ff. Johannes studens etc., filius tibi predilectus.

a) in ms. « destinat... ».

N. 225

*Civis de K.
filio J. studioso;
eum ad domum visitandam invitatur*

s.l., s.d.

F. 65 r. Rescriptum.

Dilecto filio J. studio in Crac(ouiensi) scienciis haurienti, amore paternali sincerius preuoluto. Omnium karissime et dilecte. Tua de presen-

cia cupiens consolari, prout mestus pecuniam, pro qua intimabas, tibi volui destinare; petens ideo affecciue, quatenus domum visitares, meam consolando senectutem; deinceps, pecunie copiose recepta, iterum ad studium remeabis. Hoc operare prout amorem diligis paternalem. S. Sca-nius^{a)} cuius de K., pater tibi preamandus.

a) vel « Stanius ».

N. 226

Iohannes (rusticus)

s.l., s.d.

ad P. in Ff.,

ut sibi triticum ad seminandum commodet

F. 65 r. Rusticus rustico.

Laborioso viro P. in Ff., amico multum caro. Laboriose vir fautorque singularis. Tuam amiciciam amplector rogatibus operossis: quatenus tritici quinque coros mutuare michi digneris ad serendum; deinceps, Deo michi prosperante in frugibus, totidem mensuras in diebus messis tibi retribuam diligenter. Hoc operare prout me maius uel similiter diligis retinere. Iohannes, fautor tibi specialis.

N. 227

P. de C. (T.?)

s.l., s.d.

fratri in K.;

de eadem materia

F. 65 r. Rescriptum.

Dilecto sibi fratri in K., mihi amico. Mea dilectione iugiter prelegata. Laboriose vir fraterque predilecte. Teste Deo, mihi et hominibus a messe preterita actenus me oportet singulas fruges pecunia comparare; prout enim tua recordatur karitas, anno preterito grandinem per maximam omnes mihi segetes sunt corrupte, ex quibus unum calamum in horreum non deduxi. P. de C.^{a)} amicus tibi.

a) vel « de T. ».

N. 228

N. heres de Ff.

s.l., s.d.

C. (T.?) heredi in D.,

ut filio uxorem inveniat

F. 65 r. Milles militi pro uxore filio.

Famoso viro C.^{a)} heredi in D., meo fautori. Presincero affectu fauorabili sinceriter predirecto. Constitutus in hoc mundo ut vetustus, mihi adhuc vita superstita Petrum, meum natum peramandum, coniugi desponsare cupio affectiue. Quare ad vestram fauorabilitatem famosam propero rogitando: quatenus, ob respectum serucii et fauoris, vestro in consilio^{b)} scrutari dignemini prefato P(etro) de virgine decora genere, pulcritudine et moribus, eandem P(etro) pretuito precantes diligencius in uxorem. Pro quo vestre famositati in equali uel maiori affecciue obuiabo. N. heres de Ff., vobis fautor specialis.

a) vel « T. ».

b) in ms. « constiuto ».

P. heres de C. (T.?)

s.l., s.d.

H. heredi de S.;

de Paulo herede in C. (T.?) eiusque nubili filia

F. 65 r. Rescriptum.

Viro famositate multa insignito, H. heredi in S. Promtitudine specialis pronus preuoluta. Relatu mihi dicebatur veridico, Paulus, heres in C.^{a)}, virginem suam^{b)} annis existentem nubilibus, cupit viro probo alicui desponsare; prout igitur petitibus supplicastis, Paulum ad prefatum visitabo, ipsius voluntatem meo affectu concordando; et quidquid sepefatus P(aulus) intimando mihi decreverit, vobis litteratenus respondebo. Non tantum in hiis cupio complacere. P. heres de C.^{c)}, vobis fautor.

a) vel « T. ».

b) in ms. « suam » deletum, inscriptum « sul ».

c) vel « T. ».

N. capitaneus (Cracoviensis)

s.l., s.a.

M. castellano castri;

de consilio regis (Wladislai II) cum Cruciferis

F. 65 v. Baro baroni.

Strenuo viro domino M., castellano talis castri. Strenue vir atque fautor noster. Rex magestissimus^{a)} de consilio nuperrime habito in K. cum Cruciferis, nichil concordie tractauerit; inde speramus congressionem hostilitatis operandam; exscripsimus expeditionem^{b)} futuram indubie formidantes. N. capitaneus.

a) ab hinc usque ad finem N. 232, i.e. ad verbum « complacere », textus alia manu scriptus.

b) hic in ms. « in » deletum.

N. capitaneus castri

s.l., s.d.

N. capitaneo Cracoviensi;

ad epistolam praecedentem responsio

F. 65 v. Nobili viro domino N., capitaneo Cracouien(si).

Nobilis vir et domine. Vestre nobilitati precatus dirigo perinmensas instancias, rogitando, quatenus scrutari dignemini, si in aliquibus rex nobilibus stipendia exhibebit ad pugnandum; michi queso intimare minime negligatis. In equali uel in maiori vobis complacebo affeccius. N. capitaneus talis castri.

Ignotus

s.l., s.d.

fratri,

ut sibi equum ad equitandum in hastiludio commodet

F. 65 v. Frater ad fratrem pro equo hastiludiente.

Vinculo prescripto, quo sincera caritas coligatur. Strenue vir fraterque dilecte. Vobis intimo tenore cum presenti: quod serenissimus

rex Poloniae nuperrime hastilludium generale in Crac(ouia) ad carnispruium proxime venturum fecit proclamare; quod proposuit in castro Crac(ouiensi) celebrare; ad quod diligentia cum feruenti intendo equitare, ac solacio pretuito interesse. Unde supplico fraternitati uestre studiose, quatenus spadonem vestrum, una cum attinenciis ad pretuitum hastiludium spectantibus, michi caritatiue velit concedere. Si enim aliquod dampnum ex infortunio michi acciderit, vobis promitto fide purissima cum ^{a)} satisfaccione copiosa diligentius obuiare. Quod si feceritis, fraternitati vestre, quamdiu comittabitur mee vite, studebo in similibus uel in maioribus complacere.

a) in ms. quinque litterae deletae.

N. 233

s.l., s.d.

Ignotus

*Stanislao scholastico ecclesiae collegiatae in K.,
seipsum ad regimen scholae praesentat*

F. 65 v. Socius ad scolasticum pro regimine.

Domino Stanislao, multa honestate decusato scolastico in K. collegiate ecclesie. Oracione pretuita seruicio cum fidei. Honorabilis domine. Doctus ^{a)} veridico de relatu: studiosus P., vester seruator, regimen scolasticum in festo sancti Jacobi proxime venturi velit penitus resignare. Eatenus ad vestram honestatem propero, maxime rogittans cum precatu, quatenus, diuinam intuens pietatem, vestre scole regimen dignemini mihi pre ceteris exhibere. Etenim diuina cooperante clemencia, rectoratus conscendens kathedram, Deo, Ecclesie pariter et vobis obediens, juuenes erudiam in omnibus disciplinis, pro quo prouitatis mee diligenciam vobis ad omnia semper pronam.

a) sic in ms., forsitan « Doctus sum ».

N. 234

Cracouiae, 27 Novembris 1406

*Petrus episcopus Cracouiensis
rectoribus in K. et F.;
de decimis*

F. 65. v. Petrus, Dei gracia episcopus Cracouiensis etc. Discretis viris rectoribus aut vicariis in K. et Ff. etc. ecclesiarum et presentibus,

F. 66 r. et presencia requirentibus. Salutem in Domino. Vobis sub excommunicacionis pena mandamus: quatenus quilibet vestrum suos parrochianos in villis, videlicet omnes et singulos kmetones in K., in S., in ecclesiis vestris, publice proponentes, inuocatis; efficaciter inducendo, quos et nos monemus per presentes: ut infra sex dierum spacium, a die monicionis huiusmodi, ipsis per vos faciende, computatorum, quorum dierum duos pro primo, dies pro secundo, et residuum tempus pro tercio et peremptorio termino, et trina monicione canonica prefigimus et asignamus: honorabili viro domino N., preposito Sancti Floriani extra

muros Cracovien(ses), decimas canapi anni presentis ad deccanatum et ad prebendam ipsius Crac(ouiensis) spectantes, ut eidem dent et assignent cum affectu ^{a)}. Alias si secus fecerint, nos ipsos exnunc, prout ex tunc Christi nomine invocato, excommunicamus in hiis scriptis; quos sic excommunicatos in vestris singulis ecclesiis, singulis diebus dominicis et festiuis, nunciare curetis tamdiu, donec aliud a nobis habueritis in mandatis. Datum Cracouie, die XXVII mensis nouembris, anno Domini M^oCCCC^o sexto, nostro sub sigillo. Facta ^{b)} execucione litteram reddat sigillatam.

a) sic in ms.

b) in ms. hic verbum « excomunicacione » deletum.

N. 235

Cracoviae, s.d.

*P(etrus) episcopus Cracoviensis
kmetonibus in K.*

in ecclesia in K. fundata nondum dotata ad sacramenta accedere permittit

F. 66 r. P(etrus), Dei gracia episcopus Crac(ouiensis). Providis viris kmetonibus omnibus et singulis in S. Salutem in Domino sempiternam, vestro affectui deuocius in Domino comedantes. Tenore presencium vobis indulgemus: quatenus liceat vobis, cum famulis v(estre) h(onestatis) ^{a)} cottidianis, in ecclesia ibidem in K. noviter erecta, fundata et nondum dotata, a presbitero idoneo et honesto, nostre diocesis uel per nos recepto, et a communione Christi fidelium non preciso missam audire, et coram vobis facere celebrare, excommunicatis et interdictis penitus exclusis. Cui quidem presbitero, nostra auctoritate, liceat eisdem kmetonibus ecclesiastica omnia et singula sacramenta, dum et totiens opus fuerit, deuocius ministrare. Presentibus autem post octauas sancti Stanislai minime valituris. Datum Cracouie.

a) in ms. « v. h. », vel forsitan « v. n. »; sequitur vox « vris » deleta.

N. 236

s.l., s.d.

*Nicolaus, iudex generalis causarum spiritualium episcopi Cracoviensis
rectori ecclesiae K.;*

A. heredem de K. ad iudicium citare iubet

F. 66 r. Citatio.

Nicolaus, iudex generalis causarum spiritualium venerabilis patris domini Petri, episcopi Crac(ouiensis). Discreto viro in K., rectori ecclesie, salutem in Domino. Mandamus tibi in virtute sancte obediencie: quatenus cites A. heredem de K., terminum sibi ^{a)} proxime nunc venturo, ad instanciam W., notarii eiusdem domini episcopi, ut coram nobis compareat preemtorie ad questionis obiecta legitime responsurus.

a) in ms. deest verbum.

*Petrus episcopus Cracoviensis
vicario hebdomadario collegiatae Lanciciensis et rectori in K.;
dominum D., canonicum Gnesnensem et Baucensem, contumacem de-
clarat*

F. 66 r. Contumacio.

Petrus, Dei gracia episcopus Crac(ouiensis). Viro discreto, vicario ebdomadario Lanc(iciensis) colegiate,

F. 67 r. (sic.) et rectori in K. ecclesiarum. Salutem in Domino. Quia honorabilis vir dominus D., Gnesn(ensis) et Baucen(sis) canonicus, ad instanciam S., vicarii dicte Lancic(iensis) ecclesie, de nostro speciali mandato suphicienter citatus et monitus, pro stipendio aliud ^{a)} mercede laboris, quod eidem S. de iure dare et soluere tenetur, juri parere minime curavit; quare ipsum tamquam contumacem et inobedientem reputantes, in hoc facto vobis, in uirtute sancte obediencie, districte precipimus et mandamus: quatenus eundem dominum K. ^{b)} tanquam contumacem, vestris in ecclesiis, singulis diebus dominicis et festivis, publice excommunicatum nuncietis. Quem et nos excommunicamus in hiis scriptis tamdiu, donec juri paruerit, uel eidem sibi ^{c)} satisfecerit vicarie, ut tenetur. Datum.

a) sic in ms.

b) sic in ms.

c) sic in ms.

*A(lbertus?) episcopus Cracoviensis
rectoribus in K. et in S.,
ut aliquem plebanum excommunicatum proclament*

F. 67 r. Agrauacio.

A(lbertus), Dei gracia episcopus Crac(ouiensis). Discretis viris, rectoribus ecclesiarum in K. et in S. Salutem in Domino. Quia plebanus de tali loco fuit monitus per nos, seu per nostras litteras; qui minime curavit neque curat; quare vobis, et cuilibet vestrum, sub excommunicationis pena mandamus: quatenus vassis presentibus, prefatum plebanum agravetis, quem et nos agrauamus. Alias si non curauerit, extunc prout exnunc, agravamus in hiis scriptis, Christi nomine invocato. Quem sic in vestriis ecclesiis coram Christi fidelibus excommunicabitis dominicis et festiuis diebus, tamdiu, donec a nobis aliud habueritis in mandatis. Datum Cracouie etc.

*Petrus episcopus Cracoviensis
Stephano plebano ad S. Annam Cracoviae;
de obligatione Nicolai seu Mikoss de K. coram iudicibus terrae Cracoviensis facta*

F. 67 r. Petrus, Dei gracia episcopus Crac(ouiensis). Discreto Stephano, ad Sanctam Annam in Cracouia plebano. Salutem in Domino sempiternam etc.

Nos Nicolaus iudex et Andreas subiudex generales terre Crac(ouiensis) uniuersis recognoscimus^{a)} presentibus, ad quorum noticiam peruenit presens scriptum. Quod tunc cum pro tribunali seu colloquio generali sedebamus, veniens ad nostram seu assessorum nostrorum presenciam, Nicolaus seu Micoss vir strenuus de K., sanus mente pariter et corpore et animo deliberato, non compulsus nec coactus, fideiussit seu promisit pariter et obligauit se ipsum pro quadraginta marcis grossorum Pragensium nummi Polonialis, quelibet marca quadraginta octo grossos numerando, nobili viro Preclao, heredi de C.^{b)} etc., ut supra habuimus etc.

a) hic in ms. verbum « uniuersis » deletum.

b) vel « de T. ».

N. 240

Cracouiae, in vigilia Sanctorum 1406

*Wladislaus (II) rex Poloniae
uniuersis;*

sententia in causa Nastcae de Nawojowa

F. 67 v. Littera vidue racione dotalicii et homicidii in filio suo etc.

Wladislaus, Dei gracia rex Polonie. Significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis. Quod coram K. iudice generali, S. subcamerario Crac(ouiensi), N. de C.^{a)} thesaurario nostro, A. de B., ac aliis nostris fidelibus iudicibus cause, et partibus infra scriptis, per serenitatem nostram specialiter deputatis, constituta honesta Nastka relicta Petri Kuc de Magna Nauoia, racione veri sui dotalicii, triginta marcas, in tercia parte bonorum hereditarium omnium olim Petri sui mariti, in sexaginta marcis^{b)} grossorum Femeze ibidem de Nawoyowa, racione homicidii in filio suo perpetrati obligatorum, obtinuit et judicialiter adquisiuit, per eandem Nastkam, et suos heredes et legitimos successores, tenenda, habenda, utifruenda, et possidenda, tamdiu sibi uel suis heredibus, per Naskam prefatam uel suos heredes, predicta triginta marce fuerint integraliter persolute et ad plenum. Harum quibus sigillum nostrum appensum est testimonio litterarum. Datum in Cracouia, in vigilia Sanctorum, anno Domini M^oCCCC^oVI^o c^o d^o.

a) vel « de T. ».

b) vel « marcas »; lectio incerta.

c) in ms. M^oCCC^oVI^o.

d) sensus huius sententiae ob omissiones vel errores scriptoris vix intelligitur.

N. 241

*Iudices Cracouenses
uniuersis;*

Cracouiae, s.d.

sententia de nobilitate Iohannis de C. (T.?)

F. 67 v. Littera, quando aliquis detrahet uni dicens: tu non es de nobili genere: modo ille expurget se per testes.

Nos Nicolaus iudex de S. et Ff. de K. subjudex generalis terre Cracouien(sis) significamus uniuersis, publice profidendo quibus expedit, presentem litteram habituris. Quod cum Petrus de S.: vilipendisset nobilem virum Iohannem de C.^{a)} quod non esset nobilis nec penam quin-

decimi per consequens se recipere haberet; tandem in termino peremptorio per nos celebrato et constituto prefatus P., cupiens honorifice et laudabiliter innocenciam propriam expurgare et famam propriam elucidare, produxit sex viros de proprio cleynodio: videlicet B., C., D., E., F., G. et alios sex de diuersis, videlicet D., C. etc.; qui insimul tacta sancta cruce, corporale prestiterunt iuramentum in hunc modum: ita nos Deus adiuuat^{b)} et sancta crux, quod Johannes de awo a patre et suis progenitoribus est nobilis et de genoloija nobili, qui in signum suum defert Potkowa a Krzessis et de proclamacione Lansaka^{c)}. Nos igitur, viso iuramento corporali predictorum virorum, ipsum Johannem aprobamus fore nobilem, et ad penas integras per consequens se recipiendas, sicut ceteri nobiles terre Crac(ouiensis) habere, possidere, et retinere consueuerunt. In cuius rei thestimonium, et ad pleniorum euidentiam, nostra presentibus sigilla sunt appensa, ob robur maioris firmitatis. Datum in C., die, anno etc., presentibus B., C., D., E., Ff. etc., aliis quampluribus fidedignis testibus ad premissa etc.

a) vel « de T. ».

b) sic in ms.

c) sic in ms.

N. 242

s.l., s.d.

*Iudices terrae Sandomiriensis
universis;
venditionem terrae recognoscunt
(Fragmentum)*

F. 67 v. Forma vendicionis juris Polonicalis etc.

Nos Albertus de Wamborkow iudex et C.^{a)} subiudex terre Sandomirie generales. Significamus uniuersis, quibus expedit, presentem paginam inspecturis: quod ad mei, aliorumque nobilium tunc nobiscum pro tribunali

F. 68 r. et colloquio generali residencium accedens presenciam, nobilis domina Jaroslawa, relicta condam strenui militis domini Mickonis de Coboricze^{b)}, fassa est et publicze recognovit vendidisse et imperpetuum N. hereditatem nobili viro S. pro triginta marcis g(rossorum) Pragensium, cum jure et dominio, prout eadem est distincta et limitata in suis graniciis, secundum lineam circumferencialem etc.

a) vel « T. ».

b) vel « Toboricze ».

N. 243

s.l., s.d.

*Iudices terrae Sandomiriensis
universis;
sententia in causa de villa O. de Nepol contra C. citatum et non ap-
parentem*

F. 68 r. Forma adquisicionis.

Nos A. de W. iudex et C.^{a)} subiudex terre Sandomir(iensis) generales. Uniuersis et singulis quibus expedit. Cupimus fore notum: quod

cum nobilis vir O. de Nepol citasset et citari procurasset nobilem virum K. de S., per ministerialem, pro bona sita et locata in villa C.^{b)}; tandem in termino peremptorio, celebrato specialiter et constituto, prefatus C. minime paruit nec parere curavit. Nos itaque, utrumque complementum justicie ministrare ut tenemur cum affectu, sibi eandem sortem adiudicamus presenter. Et adiudicamus O. predictam sortem, coram plebis multitudine perpetuum silentium imponentes; quam quidem sortem prefatus C., et legitimi sui successores, debent tenere pacifice, et quiete possidere, temporibus perpetuis. In cuius rei testimonium etc.

a) vel « T ».

b) vel « T. ».

N. 244

s.l., s.d.

*Walach capitaneus Cuiaviensis
universis;
de dote acquisita*

F. 68 r. Forma adquisicionis pecuniarum.

Nos Walach capitaneus Cujaven(sis). Tenore presencium insinuamus uniuerssis publice^{a)} profitendo, quibus pagina fuit dewoluta. Quia veniens et personaliter accedens ad nostram nostrorumque assessorum presenciam, nobilis C.^{b)} de Ff., non compulsus, nec coactus, nec aliquo dolo seductus, sed sanus mente et corpore, iudice Nicolao de C.^{c)} acquisivit triginta marcas racione dotis. Nos itaque, solum Deum pre oculis habentes, sibi easdem adiudicavimus presenter adiudicamus. In cuius rei testimonium etc.

a) in ms. haec vox bis repetitur.

b) c): vel « T. ».

N. 245

s.l., s.d.

*Generales (iudices)
universis;
de dote a viro uxori data*

F. 68 r. Forma dotis et dotalicii.

Nos W. de C.^{a)} et Ff. de S. terre Sand.^{b)} generales. Notum facimus uniuerssis, declarando quibus expedit, presencium tenorem inspecturis. Quod veniens et personaliter accedens ad nostram nostrorumque assessorum presenciam, nobilis S. de J., non compulsus, non coactus, nec aliquo dolo circumuentus, sed bona et spontanea sua voluntate, fassus est et publice recognovit Catherine uxori sue diligende .C. marcas, racione dotis et dotalicii, in tota hereditate B. donasse et resignasse. Quamquidem hereditatem prefata C(atherina) debet tenere pacifice, et quiete possidere, tamdiu, quousque pecunia prefata C(atherine) dicte plenarie et integraliter fuerit persoluta. In cuius rei testimonium nostrum sigillum etc.

a) vel « de T. ».

b) sic in ms. « Sand(omiriensis) »?, « Sand(ecensis) »?

*Generales (iudices)**universis;**de donatione a Hanka vidua Petro abbati facta*

F. 68 r. Forma pro salute sua amicorumque suorum.

Nos A. et Ff., C. ^{a)} B. generales. Significamus uniuerssis declarantes quibus expedit publice

F. 68 v. profitentes. Quia veniens et personaliter accedens ad nostram nostrorumque assessorum presenciam, nobilis domina Hanka, relicta condam strenui militis domini Miczkonis de Volevice ^{b)}, non compulsa, non coacta, nec aliquo dolo seducta, sed de bona et libera sua voluntate, amicorumque suorum consilio prehabito, fassa est et publice recognovit religioso viro domino Petro abbati, ac conuentui suo, conformiter LXta. marcas pagare ^{c)} Bohemicales ad tempus vite sue, in Dobrucicze, hereditarie sua, resignasse; pro salute anime sue et predecessorum suorum, necnon bono et utilitate ecclesie predictae; cum omni iure et dominio tenendam, habendam, possidendam, regendam, gubernandam, meliorandam, comutandam, obligandam, donandam, et ad suos usus beneplacitos libere conuertendam. Cum sepe dictam dominam C. ^{d)} de hac luce humanitus migrare contigerit, extunc hereditas sepe dicta, cum omnibus bonis ibidem augmentatis, finibus, seminibus seminatis et seminandis, ad monasterium predictum C. ^{e)} debet restitui et integraliter restaurari. In cuius rei testimonium testes ac C. C. ^{f)} etc.

a) vel « T. ».

b) prima littera incerta: V. vel B. vel C. vel T.

c) sic in ms.

d) e) f): vel « T. ».

*Ignotus princeps**universis;**dotalitium a milite uxori datum confirmat*

F. 68 v. Forma dotalicii.

Nos H., Dei gracia princeps talis terre. Singulos cupimus intelligere presens scriptum. Quod, nostra constitutus in presencia, nobilis vir dominus N. talis asseruit se, suorum ex consanguineorum consensu, maturaque deliberacione propria, D. villam strenue domine K. sue legitime conthorali dedisse, necnon assignasse, in forma veri dotalicii possidendam, dumtaxat predicta domina, post obitum prefati militis si uixerit, et quamdiu in vita viduali permanserit, prefatam D. villam solito iure cum utilitatibus, fructibus et proventibus possidebit. Ipsa uero secundas nuptias celebrando, heredes posterius uel successores preacti ^{a)} militis prenominate domine K. .C. marcas usualis pagamenti potuerint et sepe fatam villam, uelud bona reliqua, omni sine contradiccione, iure solito reseruare. Supplicat igitur nos memoratus N. milles predictam donacionem dotalicii nostris autenticis confirmare. Nos uero attendentes suorumque precamina, benivolencia pariter obsequia, predictum confirmantes donacionis dotalicium, damus et concedimus presentibus prefate

domine K. sepefatam villam D., iuribus consuetis, et condicionibus suprascriptis, sub forma veri dotalicii tenendam, habendam, pacifice pariter possidendam; dantes in signum maioris certitudinis memorate domine K. strenuum virum dominum C.^{b)} militem, fidelem nobis et dilectum, prefati dotalicii introuissatorem legitimum, pariter prouisorem. Ne igitur predicta nostre confirmacionis tradicio ab aliquibus infringatur temere, presentem litteram sigillo fecimus roborare. Actum, datum, tali die etc.

a) lectio incerta.

b) vel « T. ».

N. 248

*J. heres de C. (T.?)
episcopo Cracoviensi
clericum ad subdiaconatum praesentat*

Cracoviae, s.d.

F. 68 v. Provisio.

F. 69 r. Reuerendissimo in Christo patri et domino, domino A., Dei gracia episcopo, uel eius suffraganeo. J. heres de C.^{a)} debitam obedientiam cum promptitudine famulandi. Reverende pater et domine, domine graciose. J. m. de Ge, exhibitorem presencium, clericum in minoribus ordinibus constitutum vestre Crac(ouiensis) diiocoesis, ad vestre paternitatis reuerenciam dignum duxi transmitendum; eidem vestre paternitati suplicando: quatenus ipsum, complacencia Cunctipotentis, ad gradus subdiaconatus, ceterosque sacros sanctos ordines, meam ad provisionem misericorditer dignemini promouere. De cuius vite honestate^{b)}, laudabilique conuersacione, quantum humana sinit fragilitas, testimonium perhibeo. Promitto namque eidem J. mee promocionis auxilium, et prouisionis beneficium, offerente se^{c)} tempore impendente cum affectu^{d)}. In cuius regi thestimonium sigillum meum presentibus est appensum. Actum et datum Cracouie, die talis mensis, anno Domini CC^o etc.

a) vel « de T. ».

b) in ms. « probitate » deletum.

c) d): sic in ms.

N. 249

Heredes de W.

P(etro) episcopo Cracoviensi

J. C. (T.?) presbyterum ad ecclesiam suae collationis praesentant

s.l., s.d.

F. 69 r. Presentatio.

Reuerendo in Christo patri ac domino, domino P(etro), Dei gracia episcopo sancte Crac(ouiensis) ecclesie, siue eius administratori in spiritualibus. B. et E. fratres et heredes de W. Debitam reuerenciam, cum obsequio indefesso. Pater reuerendissime. Quia vacante parrochiali ecclesia in W. Crac(ouiensis) diiocoesis nostre colacionis, per decessum ultimi et immediati N. rectoris eiusdem ecclesie; dilectum vobis J. C.^{a)} presbyterum, quem morum honestas et deuocio per fideles homines recommendant, vestre paternali reuerencie duximus presentandum; petentes ean-

dem vestram reverenciam pro ipso et cum ipso sinceriter ex affectu: quatenus de eadem dignemini providere, investientes ipsum per anuli siue bireti vestri impositionem, et nichilominus curam temporalium et spiritualium ac regimen animarum eidem committendo. Quod apud vestram reverenciam spiritualem cupimus promereri. Datum in V., tali die; in cuius rei thestimonium sigilla nostra sunt etc.

a) vel « T. ».

N. 250

s.l., s.d.

B. heres de C. (T.?)

A. episcopo

clericos, qui beneficia suae collationis permutaverunt, investendos praesentat

F. 69 r. Forma presentacionis per modum commutacionis ecclesiarum.

Reuerendissimo in Christo patri et domino, domino A. B. heres de C.^{a)} Filialem reuerenciam cum honore. Reuerende pater et domine gracie. Quia discretus S. de C.^{b)}, rector ecclesie, cuius jus patronatus ad me dinoscitur pertinere, cum discreto viro domino N., rectore ecclesie in Ff., eciam ad colacionem inter ipsos realemi super ecclesiis eorum predictis fecerunt permutacionem, nulla symoniaca pravitate interveniente^{c)}, mihi dilectissime supplicando, quatenus ipsis ad hoc meum preberem consensum; sed quia iusta petentibus non est denegandus consensus, ad ipsorum huiusmodi permutacionem meum dedi et presentibus do consensum, pariter et assensum, eundem dominum S. in rectorem memorate ecclesie in Ff. recipiendo. Vestre igitur paternitati predictum S. duxi presentandum cum ipso et

F. 69 v. per ipsum ardenti desiderio supplicando: quatenus ipsum, premissis meo^{d)} ad eandem mee predictae colacionis in Ff. dignemini investire ecclesie curam spiritualium temporalium^{e)} regimen animarum sibi committendo, ob divine laudis augmentum et retribucionis sempiternae. In cuius rei testimonium^{f)} nostrum sigillum omnibus est appensum. Actum et datum.

a), b): vel « de T. ».

c) in ms. hoc verbum bis scriptum, semel deletum.

d) sic in ms. omnia videtur aliqua vox.

e) « spiritualium temporalium »: sic in ms., sine « et ».

f) in ms. hoc verbum bis scriptum.

N. 251

P(etrus) episcopus C(racoviensis)
universis;

Cracoviae, s.d

de investitura presbyteri in ecclesiam patronalem

Cfr. N. 267.

F. 69 v. Investitura.

Dei et Apostolice Sedis providencia P(etrus) episcopus C(racoviensis). Uniuersis et singulis harum continenciam visuris litterarum. Signi-

ficamus quia N. presbiterum, in moribus commendatum et probatum, et presentatione nobilis viri E. de S.^{a)}, ad talem plebaniam, auctoritate pontificali, substituimus, ordinamus, et more solito cerimonia ad hoc requisitis presentibus investimus. Vobis domino P. plebano tali, in virtute sancte obediencie, iniungentes comittimus: quatenus in vestra ecclesia crida exhibita ad predictam ecclesiam memoratam predictum N. studeatis investire. In cuius regi testimonium sigillum nostrum presentibus est appenssum. Actum et datum Cracovie.

a) sic in ms.; recte: « ad presentationem », cfr. N. 267.

N. 252

s.l., s.d. (a. 14..)

*Wladislaus (II) rex Poloniae
universis;
procuratorem admittit pro causis validi K.*

F. 69 v. Procuratorium regis in iudicio seculari.

Vladislaus, Dei gracia rex Polonie Litwanieque princeps supremus et heres Russie. Significamus quibus expedit uniuersis. Quomodo validus K., fidelis noster dilectus, terminis iudicialibus non valeat perperditus negociis personaliter interesse: unde, nostra ad hoc voluntate et consensu accedentes, idem K. constituit aut posuit, prout melius potuit, ordinavit suum verum legitimum procuratorem, actorem, factorem, et nuncium specialem hunc videlicet, qui presens procuratorium exhibuerit; denominando in causis omnibus suis, quas habet vel habiturus est, cum quibuscumque, coram quocumque iudice uel subiudice; dans et concedens eidem suo procuratori plenam et omnimodam potestatem agendi et defendendi, et generaliter omnia et singula faciendi et exercendi, que ipsemet constitutus faceret uel facere posset, si premissis personaliter interesset, ratum et gratum atque firmum perpetue habiturum, quidquid per predictum procuratorem suum actum, siue peractum, siue ordinatum fuerit in premissis harum nostrarum, quas appensione sigilli nostri munire que roborari fecimus litterarum. Actum et datum e tali die, anno Domini M^oCCCC^o etc.

N. 253

*J. iudex et consules alicuius civitatis
J. iudici et consulibus civitatis G.
J. incolam commendant*

s.l., s.d.

F. 69 v. De una ciuitate ad aliam ciuitatem clausa littera.

Solertibus viris dominis J. iudici et consulibus totius communitatis in G. etc. Quolibet previo quo benivolencie obsequium famulatur^{a)}. Solertes

F. 70 r. domini, amici nostri feruidissimi. J., nostre ciuitatis incola, qui fuit actenus, vestram ciuitatem inhabitandam subintrare desiderat. A diebus vite sue, ex ipsius parentibus inter nos laudabiliter et honorifice se conservauit. Cum igitur sua probitas hoc promeruit, ipsum recom-

mendamus pro eo vobis supplicantes: quatenus prefatum J. vestre comunitati in vicinum assumere dignemini, sibi que speciali de fauore fideliter contineri; pro quo in simili uel maiori vobis in posterum volumus respondere. Datum. J. iudex necnon ac tales, consules ciuitatis.

a) hic in ms. glossa supra lineam: « auguratur » deleta.

N. 254

*A. magister civium et consules civitatis G.
universis;
aliquem A. commendat*

s.l., s.d.

F. 70 r. De eodem aperta littera.

Nos A. magister civium, necnon A., B., C., D. consules talis ciuitatis, tenore presencium profitemur publice manifestantes seu protestantes: A. exhibitorem presencium, a legitimis fuisse natum et exortum parentibus, nostris condam conciuibus vel ciuibus; pariter per conuersacionis insignia, famam laudabilem a diebus sue natiuitatis quoram nobis ^{a)} efficialiter se rexisse videbatur. Ad cuius rei euidenciam nostram, de certa sciencia, nostre ciuitatis secretum uel sigillum presentibus afirmamus ^{b)} subappendi. Datum in G., nostro in consistorio, sub anno Natiuitatis Domini etc., presentibus hiis testibus A., B., C., D. et aliis quamplurimis fide dignis.

a) in ms. « vobis ».

b) in ms. « infirmamus ».

N. 255

*Cives alicuius civitatis
ad alios cives,
ne militem predonem captivum demittant*

s.l., s.d.

F. 70 r. Ciues ad alios ciues scribunt pro uno predone detento.

Prudentes domini amici nostri karissimi. Fama nos edocuit veridica Ff. talis milles in vestras manus illapsus est potencie ^{a)}, qui ^{b)} vestra nunc detinetur carcerali custodia; ipse etenim uobis et nobis, suis cum complicitibus, multiplicia intulit dispencia; et pro hiis attentis injuriis dignum censetur sortiri interitum, qui stipatur malefactibilibus robore firmatis. Vobis quare nostras preces offerimus consultiuas, quatenus dicto agatis cum milite, equitas racionis prout swaserit, ut spiritum exalaret mortificum, perpetuum debitum exsoluendo. Si uero cum eo taliter nequueritis procedere, extunc prefatum firmis valetis cautelis vinculare ^{c)}, ut suficiens securitas ex parte ipsius et sibi choerencium in posterum habeatur. Nam si iugum vestre captiuitatis talis incaucionatus ^{d)} euaserit, contra vos et nos insurget genera ad varia ulcionis. Datum etc.

a) sic in ms.

b) in ms. « que ».

c) in ms. « u.n.l.care »; lectio incerta.

d) super lineam glossa: « vel fuerit dimissus ».

Cracoviae, feria II in octava Corporis Christi (a. 14..)

*Iudices terrae Cracoviensis
universis;
de venditione terrae inter nobiles*

F. 70 r. Priuilegium vendicionis hereditatis.

Nos C.^{a)} iudex necnon D. subiudex terre Crac(ouiensis) generalis. Notum facimus tenore presencium omnibus et singulis, presentibus et futuris, presencium noticiam habituris: quod accedens ad nostram, nostrorum assessorum presenciam, nobilis N. de O., sanus mente,

F. 70 v. et integer existens ratione, non compulsus, non coactus, nec aliquo dolo seu fraude circumuentus, sed bona voluntate sua preabita, suorumque amicorum fretus seu usus arbitrio suphicienti; totam partem hereditatis suam, ibidem in seipsum, quelibet ex paterna siue materna successione concurrentem, cum ipsius partis hereditatis dominio, utilitatibus, fountibus, censibus, reditibus, agris cultis et incultis, pratis, campis, pascuis, gais, rubetis et arborum crescenciis, melificis, stagnis, aquis, piscinis, molendinis, et aquarum decursibus, tabernis, arciis, domibus, edificiis ac uniuersis apendiis seu utilitatibus, ad predictam partem hereditatis ibidem in O. spectantibus, quibuscunque nominibus censentur, quibus iam dictus N. predictam partem hereditatis in O. tenuit, habuit actenus et possedit; prout eciam dicta pars hereditatis in suis metis et gagibus^{b)} circumferencialiter est distincta et limitata; pro .C. marcis latorum grossorum Pragensium nummi Polonialis in terra Crac(ouiensi) detinentes, quadraginta octo grossos marca pro qualibet computando, nobili viro B. de C.^{c)} et ipsius successoribus legitimis vendidit, coram nobis, more solito perpetualiter et assignavit; per ipsum P.^{d)} et successores ipsius, iam dictam partem hereditatis in O. tenendam, habendam, usufruendam, possidendam, vendendam, commutandam, alienandam, et ad usus suos beneplacitos conuertendam; promittens idem N. predictum P., et successores ipsius legitimos, ab omni impedimento et dampno iuxta ius terestre, ratione sepedicte hereditatis vendite, ubilibet releuare. In cuius reli testimoniorum robur sigilla nostra presentibus sunt appensa. Actum et datum Crac(ouie), feria secunda infra octauas Corporis Christi, anno Domini M^oCCCC^o etc. In hiis testibus stam - o^{e)} etc.

- a) vel « T. ».
b) sic in ms.
c) vel « de T. ».
d) sic in ms.
e) sic in ms.

*J. comes
G. comiti;
de predonibus*

s.l., s.d.

F. 70 v. Comes comiti scribit supra spoliatores.

Magnifice generositatis viro domino G., comiti tali, sibi singulari fautori. Omnibus precognitis complacenciis, quibus puritas comprobatur. Magnatum condicio et frequencia^{a)} expostulat, et fabricat ratio, ut

alter non obsit alteri, nisi legitima difidacione precedente. Magnifice, itaque necnon generose domine. Cum graui vestre generositati querela duxi propallare^{b)}, quod nonnulli complices^{c)}, satellites^{d)}, et clientele consortes, de castrorum vestre generositatis habitaculis clandestine descendentes, meis censualibus intollerabilia intulerunt nocumenta, et nec usque inferre desinunt graviora. Cum tamen inter me et vos nulla

F. 71 r. hostilitatis preiuit displicencia, nec ulla diffidacionis indicia precesserunt, ymo amiccabilitatis fauore ac complacencia utrumque exarsit igniculus, quem actenus spero inter nos refluere. Quocirca vestram flagitto generositatem, sollicito cum precatu: quatenus ad hoc dignemini intendere taliter, et ordinare, ne amplius per vestros^{e)} mihi meisque discrimina oriuntur. Alioquin opinor aduersus^{f)} me occasionem quod queritis^{g)} litigandi primordia innouantes... Datum etc. J. comes.

a) glossa super lineam: « consuetudo ».

b) glossa super lineam: « manifestare ».

c) glossa super lineam: « socii in malo ».

d) glossa super lineam: « id est in via spoliantes ».

e) in ms. « vestras ».

f) in ms. hoc verbum bis repetitur.

g) in ms. « geritis »; lectio incerta.

N. 258

Comes

s.l., s.d.

P. comiti

promittit contra malefactores agere

F. 71 r. Responsum huius.

Viro, splendor ingenuitatis in quo radiat fulgide, domino P., comitti tali. Previis honorificencie inpensibus et amore. Qui nunc nimium adhibuit assensum ad nocendum, de iure terminari ab altero non tenetur. Magnifice itaque domine. Erga vos amicicie dudum gerendo voluntatem, nec ad vestrorum nec ad vestra discrimina aspiravi; ob quod non estimo de mea familiaritate extitisse, aduersus quos vestra querimonia censetur resonare; ymo tales a meorum penatum consorcio sequestrarem. Ne igitur ignis inter nos discordie incenderetur, uel emulacionis^{a)} vigeat occasio, vestram suadeo^{b)} ingenuositatem precatibus cum immensiss: quatenus complices, qui vobis, uelud asseritis, de meis habitaculis inferunt^{c)} discrimina, mee noticie deducatis; quibus cognitiss persequar hostiliter, vobis cupiens complacere. Datum. Comes talis loci etc.

a) glossa super lineam: « inimicitie ».

b) in ms. « cuadeo ».

c) in ms. « inferund ».

N. 259

Scholares

s.l., s.d.

ad « Reverentiam Magnam »;

(epistula iocosa)

F. 71 r. De communitate sociorum. Suprascriptio.

Tedia postponite, cartam suscipite mite^{a)}. Vir sapiens, digne, venerabilis atque benigne. Cetus scolarium consuetus manducare parum, necnon potare, dire viuere^{b)} sic et amare, in scolis stantes, facultates

non habentes. Sed fames atque sitis cruciat nos, ut bene scitis. Ergo clamamus, quia pauca semper habemus, potu caremus, cibaria numquam habemus. Namque clamat venter, volens saccare libenter. Ob hanc inopiam, Christi propter misericordiam, succuret vestra nobis reuerencia magna, ex bursa vestra sit datum quoque manu larga. Date, dabitur vobis regimen celorum.

Subscriptio:

Datum sub bulla, quorum possessio ulla, ab uno ad alium.

- a) in ms. « mitte ».
b) in ms. « viues ».

N. 260

Vocabularium Latino-Polonum.

Textum vide in tabulis VI-XVII in fine huius voluminis.

F. 71 v.; 72 r. et v.; 73 r. et v.; 74 r.

N. 261

P. episcopus

s.l., s.d.

Summo Pontifici U(rbano VI?);

rogat, ut aliquem principem excommunicet

(v. Tab. XVI. in fine huius fasciculi)

F. 74 r. Episcopus ad Papam^{a)}.

Sanctissimo in Christo patri ac domino, domino U(rbano), Uniuersalis Ecclesie Summo Pontifici. Reuerenciam debitam et contiguam cum osculo pedum vestrorum. Pater beatissime. Vestra coram sanctitate me pudet refferre, tot et tanta maleficia E., talis principis, qui instigante humani generis emulo talem ecclesiam hostiliter spoliavit, quam usque nunc non desinit depredare, ac mala malis cumulans aduersus me, pastorem ecclesie, insurgens necem crudelius machinatur. Autem girans oculis ullibi salubrius inueniens refugium, ad vestram sanctitatem recurro humiliter et devote supplicando: quatenus aduersus principem prenommatum, auctoritatis apostolice gladium ewaginantes, sententias excommunicacionis fulminetis; quibus perterritus ac famatus a maleficiis respiscat preconceptis. Nisi premissa vestra fecerit beatitudo, ceteri malefacientes^{b)} rustici (non)^{c)} respiscant pudentque^{d)} a predicto. P. episcopus talis, sanctitatis vestre humilis et devotus orator.

a) in ms. glossa in margine superiori: « Uel plebanus ad episcopum, mandatum ».

b) in ms. « maleficiis ».

c) in ms. « non » omissum.

d) lectio incerta.

N. 262

Paedagogus

s.l., s.d.

domino J. nobili;

de progressu filii in studiis

(v. Tab. XVII. in fine huius fasciculi)

F. 74 r. Pedagogus scribit domino suo, quod juvenis bene studet etc.

Viro intime fidelitatis seculo adiuvante, domino J. nobili heredique, in tali loco percunctanti. Omni fide probitatis et iusticia preaptata

constanti seruitute intermixta. Grande bonum et amenum precordiis consurgit parentum, dum viget validum studium suorum natorum, prosperum atque gratum. Benedictus igitur Dominus Deus, qui mirificavit filium vestrum^{a)} scolasticum in disciplinis, conferens eii facultatem in discendo persone, rationem in studendo, capacitatem preminentem in retinendo. Benedicite igitur Domino, benedicite et ceteri serui Domini Domino, de tanto prosperitatis successu. Ipse etenim est, de quo singuli reuerentur, neque eii par in concipiendo, similis in inteligendo, equalis in eloquendo; ipse legit et inteligit, disputat et obicit, metrificat atque dictat, quod multi ab eo inplorant habere utilia documenta. Ideo presenti cum nuncio sufragium quinque sexagenarum ipsi est largiendum, quo mediante magistris in conuersando poterit associari. N. vestri filii fidelis informator.

a) hic in ms. vox « suum » deleta.

N. 263

Ignotus

s.l., s.d.

*ad dominum J. archidiaconum vel episcopum;
plebanum B. de variis criminibus accusat*

F. 74 v. Heres accusat plebanum ante episcopum.

Nimie honorato viro domino J., archidiacono uel episcopo alicuius certi^{a)}. Incrementum spontanee seruitutis cum fidei integritate ablato. Domine mi gratiose. Licet inuitus, conqueror, quod dominus B. plebanus talis ecclesie, nec homines reuerens^{b)} neque Deum, taxillos agittans lusoribus capillos et testulos^{c)} proponit, Salvatorem blasphemando; et quod plus proprie datum in curia fouet assidue concubinam. Cum hoc sit nobis et aliis in gradu presbiteratus penitus in scandalum et ruginam, rogitto igitur cum hortatu: quatenus vestra eundem graciositas corrigere dignaretur, mihi de negligencia nullatenus imputando. A. talis ville.

a) sic in ms.

b) glossa supra lineam: « id est timens ».

c) sic in ms.

N. 264

Comes

s.l., s.d.

*J. rectori et decano ecclesiae;
de revocando vicario*

F. 74 v. Honorabilis sibi scribit^{a)}.

Multo honorabili viro domino J., rectori necnon decano talis ecclesie. Beneuolencia fauorosa sincerius prelocata. Cum dominus vinee adesse nequierit, vineatorem fidelem preelegit, cum dignis laboribus et conuenientibus, qui vineam reddat fructuosam. Cum igitur vestram comissis vineam agricole minus digno, qui deficientibus doctrinalibus regulis vites steriles efficit, velud vox querulosa, feriens etherea, vestrorum parrochialium nostris auribus inportatur; qui breuem virtutum gerens hiemem in longam viciorum se commutauit insaniam, diuina secularibus squaloribus inmiscendo. Nequientes igitur talia pati, vobis

comittimus hortatu, quatenus vineam vobis comissam propriis foueatis manibus, aut magis ydoneo comittatis, uelud iram superiorem ewadere cupitis cum honore. Comes talis loci.

a) sic in ms.

N. 265

*Ignotus presbyter
archiepiscopo Gnesnensi;
de beneficio obtinendo*

s.l., s.d.

F. 74 v. Sacerdos scribit ad archiepiscopum.

Wenerabilissimo patri domino et domino archiepiscopo Gne(snensis) ecclesie, domino suo multum gracioso. Subieccionis integra voluntate continuis cum horaculis reuerenter exhibitis. Celi enarrant gloriam, pater reuerendissime, vestram tamquam pastoralementem, electissimi et benigni. Heu, quam ualde honorandus est status archiepiscopatus vester, cum ipse cunctas dignitates elargitur, egenos ditat et sublimat, de que Paulus: Tu es vas electionis. Tue namque dignitati interest orphanos defensare, eisdemque prebendas conuolare; mihi que vobis in beneficio supplicare, et precipue grauedine indigencie vergente et pressura est maturandum

F. 75 r. ad thesaurum reconditum, itaque ad egidem^{a)}, iaculorum resiliu^{b)} sitibundis^{c)}. Qua propter supplico gemittibus ad vestre paternitatis confugiens presidium^{d)}, ad azilum uelud refugii: quatenus vestra paternitas largiflua manu olim summa lege^{e)} consequenter exhibita graciose diuoluentes in animo, nunc tempore seculi^{f)} accelerante, ad aliquid beneficium misericorditer velitis pie promouere; pro quo constanter petitionis conscienciam, vestra diuturna pro salute, conabor exercere continue.

a) glossa supra lineam: « id est clipeum ».

b) glossa supra lineam: « trasgressum ».

c) glossa supra lineam: « affectuosus ».

d) glossa supra lineam: « auxilium ».

e) in ms. « legewa »; « wa » deletum.

f) glossa supra lineam: « antiquo ».

N. 266

*Consules Opatovienses
universis;*

s.l., a. 1414

testant aliquem H. domum suam in pignum dedisse

F. 75 r. Forma obstagialis^{a)} ciuillis.

Nos A., C., X., G., consules et jurati antequam ciuitatis Opatouiensis. Notum facimus omnibus et singulis presencium per tenorem: quod C.^{b)} de H., nostram adiens presenciam, non coactus nec compulsus, sed sana et bona deliberacione animi preuia, domum situatam in ciuitate Radom circa ecclesiam Beate Virginis Marie, obligauit beniuole in triginta marcis grossorum Pragensium N. de V., suis heredibus ac successoribus legitimis, per spacium annorum quinque, a die Natiuitatis computando; tali condicionem interiecta: quod N. de V. conservacionem generalem de

domo predicta, una cum successoribus, ad presentem ibidem operatum tenebitur conservare. In cuius rei testimonium sigillum nostre ciuitatis est appensum. Actum et datum, anno Domini M^oCCCC^oXIII^o.

a) sic in ms.; glossa supra lineam: « zastawni ».

b) vel « T. ».

N. 267

s.l., s.d.

*P(etrus) episcopus C(racoviensis)
universis;
de investitura presbyteri in ecclesiam patronalem
Cfr. N. 251.*

F. 75 r. Investitura ad ecclesiam.

A^{a)} Dei gracia et Apostolice Sedis providencia P(etrus) episcopus C(racoviensis). Uniuersis et singulis harum continenciam visuris litterarum. Significamus, quod N. presbiterum in moribus commendatum et probatum, ad presentacionem nobilis viri J. de S.^{b)} ad talem plebaniam auctoritate pontificali substituimus, ordinamus, et more solito ceremoniis ad hoc requisitis presentibus investimus; vobis domino P., plebano tali, in virtute sancte obediencie iniungentes committimus: quatenus, in vestra ecclesia crida exhibita, ad predictam ecclesiam memoratam eum N. studeatis investire. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum.

a) sic in ms.

b) cfr. N. 251 ubi: E. de. S.

N. 268

s.l., s.d.

*Ignotus rex
ignotis
mandat, ut decem panni dent capitaneo Wladislaviensi*

F. 75 r. Quitacio a rege.

Fideles nostri dilecti. Mandamus vobis seriose: quatenus Borowche^{a)} capitaneo Wlad(islaviensi), nostro fideli dilecto, .X. ulnas boni panni hartaviti^{b)} ad rationem nostrorum theoloneorum dare debeatis improtracte; de quibus vos quitamus per presentes. Aliud non facturi. Datum in C.

a) sic in ms.

b) vel forsitan « hartauensis ».

N. 269

s.l., s.d.

*Rex Poloniae
ignotis;
270 mensuras avenae sibi dare iubet*

F. 75 r. Fideles nostri dilecti. Vestram fidelitatem requirimus et rogamus: quatenus pro diario tribuetis nobis ducentas septuaginta mensuras avenae, vestre mensurae, proximo nostro aduentu Innoueslawiam; pro cunctis quas vobis exsoluimus. Aliud non facturi. Datum in C.

*Iacobus de B. subcamerarius reginalis regni Poloniae
universis;*

*declarat agricolas et incolas de villa Petek, qui Petrum, occisorem uxoris,
sibi captivum dederunt, a qualibet poena expurgatos esse*

F. 75 v. Littera pro interfeccione mulieris racione pepli regine.

Nos Jacobus de B. succamerarius reginalis regni Poloniae etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit uniuersis tam presentibus quam futuris, presentem litteram inspecturis. Quomodo kmetones et incole de uilla Petek dicta, monasterii Sancti Bernardi de Ondrzeovo, volentes de pena pepli reginalis, racione J., mulieris interfecte per Petrum kmetonem de eadem villa, eiusdem mulieris legitimum maritum, penitus expurgare; nichilominus, eundem Petrum detinentes, nobis captivum eduxerunt et ad manus nostras dederunt. Idcirco predictam villam dictam C. ^{a)} simul cum kmetonibus ac incolis, nullus pro eadem pena presumat in perpetuum impedire. Quamquidem villam una cum kmetonibus et incolis quitamus et absoluimus in hiis scriptis per presentes. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum.

a) sic in ms.; vel « T. ».

Wladislaus (II) rex Poloniae

Iohanni;

citatio ad iudicium (in re criminali)

F. 75 v. Sequitur citacio regis generalis.

Wladislaus, Dei gracia rex Poloniae. Tibi Iohanni de tali villa. Mandamus: quatenus die tercia post ingressum nostrum proximum in Cra-couia, coram mayestate nostra, ad instanciam Petri heredis talis ville, pro violencia sibi facta invasionis ^{a)} domus sue, et ad obicienda quelibet causa iudicialiter, quam personaliter et peremptorie finaliterque compareas responsurus. Datum in Nova Sandecz.

a) in ms. « in visionis ».

Wladislaus (II rex Poloniae)

ignoto;

citatio ad iudicium (in re civili)

F. 75 v. Alia citacio in causis minus criminalibus, non peremptoria.

Wladislaus, Dei gracia. Tibi N. etc. Mandamus: quatenus die 3^a ^{a)} post ingressum nostrum etc., ad instanciam Petri etc., pro sexaginta marcis veri debiti, hereditatis empte contracti, et ad obicienda quelibet ipsius, compareas responsurus.

a) sic in ms. « 3^a », numero arabico.

*Wladislaus (II) rex Poloniae
Iohanni;
citatio ad iudicium (condicionalis)*

s.l., s.d.

F. 75 v. Sequitur monicio cum citacione.

Wladislaus, Dei gracia rex Polonie etc. Tibi Johanni de tali villa. Significamus: quomodo nostram adueniens ad presenciam C.^{a)} talis vidua, te sibi recepisse duos boves in campo, deposuit in querelam. Quocirca tibi districte precipiendo mandamus, quatenus mox vassis presentibus, eosdem sibi boves restituas indilate. Alioquin tali die coram nobis in Cracouia, ad instanciam predictae vidue, tam personaliter quam peremptorie, cur sibi boues reciperas, et ad obicienda quelibet compareas responsurus.

a) vel « T. ».

*Wladislaus (II) rex Poloniae
ad Petrum aliosque;
constituit eos iudices in causa H. viduae*

s.l., s.d.

F. 76 v. Sequitur commissio curie facta a rege ad dominos et ad aliquos barones ut infra.

Wladislaus, Dei gracia rex Polonie etc. Strenuis viris et validis viris Petro Crac.^{a)} N. Johanni de talibus villis, militibus nostris fidelibus, nostris dilectis. Graciam regiam et omne bonum. Quia H. talis, vidua, nostram veniens ad presenciam, flebili proponit in querela: quomodo H., talis ville heres, multas sibi iniurias et oppressiones, in ipsius bonis quam kmetonum, per violenciam publicam intulisset. Sed quia novimus vos solite curare solicite reiis, nec cuiquam iussistis per quempiam iniurias pati^{b)}, nunc quoque, quamuis causam ipsam discutendam volumus et facimus esse, per nosmet tamen non possumus, cum sumus ad presens multum arduis negociis, regnum nostrum generaliter tangentibus, prepediti; nichilominus ergo uobis, de quorum legitimitate confidimus, causam ipsam comittimus; cum potestate plenaria iudicandi et fine debito terminandi. Et quidquid per sentenciam vestram definitiuam in ipsa causa fieri decreueritis et disposueritis, volumus perpetue esse et tenere ratum. Datum die, anno etc.

a) sic in ms.

b) in ms. « paciens ».

*Cristinus palatinus Cracoviensis
Iohanni;
citatio (ad tribunal terrae)*

s.l., s.d.

F. 76 r. Citacio iudicis terre.

Cristinus Palatinus Crac(ouiensis). Tibi Johanni de tali villa. Mandamus: quatenus proximo die terminorum venturorum in Cracoviam, coram nobis aut coram iudice uel camerariis nostris, ad instanciam N. de tali villa heredis, pro eo, quod in gaio seu in querceto ipsius .XL. quercos bene adultos met sextus^{a)} cum tui generis similibus per-

sonis tam violenter quam temerarie excidisti, compareas responsurus. Datum die, anno prelegatis.

a) « met sextus » polinismus « samoszóst », « (tu) cum aliis, sextus ».

N. 276

s.l., s.d.

*Iohannes iudex generalis Cracoviensis
alicui N.;*
citatio

F. 76 r. Citatio iudicis per modum accessionis.

Johannes de tali villa, iudex generalis Crac(ouiensis). Tibi N. de tali villa per modum accessorie mandamus: quatenus die proprio terminorum in Cracouia, coram iudice nostro, ad instanciam Petri talis heredis, pro sexaginta marcis pecunie, qui iure iudiciario instando terminis, tuamque accusando contumaciam, legitime lucratus est definitiuam. Definitiuam meam sententiam mediante ad soluendum sibi uel at cautionem fideiussoria solui sinandum ipsam pecuniam, tam personaliter quam peremptorie compareas responsurus. Datum etc.

N. 277

s.l., s.d.

*Iudices commissarii
domino Petro
nuntiant citationem regiam ab eis acceptam esse*

F. 76 r. Citatio commissariorum ex parte regis.

Johannes, Phi., Ff., heredes talium villarum et tales dignitarii, per serenissimum principem dominum Wladislaum regem Polonie etc. specialiter constituti

F. 76 v. in causa infrascripta iudices commissarii. Nobili viro domino Petro de tali villa. Amiciciam etc. Nostris in hac parte mandatis, ymo regalibus venimus obedire. Noueritis nos districte missionis et mandati predicti domini nostri regis nuper litteram recepisse, cuius tenor sequitur in hec verba:

Wladislaus, Dei gracia rex etc. Strenuis et validis viris P., J., N. de talibus villis, militibus fidelibus nostris dilectis. Graciam regiam et omne bonum. Idcirco vobis, auctoritate regia premissa, mandamus: quatenus ad colloquium generale, in festo sancti M. proxime venturo in Crac(ouia) celebrandum, ibidem coram nobis, ad instanciam H. et C. a) vidue, pro iniuriis et violenciis, in regali littera superius expressis b), tam personaliter quam peremptorie compareatis finaliter responsuri. Datum die etc.

a) vel « T. ».

b) in ms. « expressa ».

N. 278

Cracouiae. s.d.

*Wladislaus (II) rex Poloniae
universis,
ut Iohannes Gnesnensis (?) libere sal conducere sinatur*

F. 76 v. Littera a) ad relacionem regis pro theoloneo non accipiendo, quando sal ducitur.

F. 77 r. Wladislaus, Dei gracia rex Polonie Litwanięque princeps supremus et heres Russie etc. Uniuersis et singulis capitaneis, burgrauis, procuratoribus, consulibus ciuitatum, passuum ceterisque custodibus et aliis in regno nostro constitutis et presentibus requirendis, nostris fidelibus dilectis. Graciam regiam et omne bonum. Quia Johanni Gnesnensi ^{b)} quatuor bancos salis pro coquina et usu domus sue dedimus; quare vobis mandamus: succursum deducere, siue conducere volueritis, ipsum Johannem cum dicto sale, ipsum libere et sine omni exactu theolonei pertransire faciatis. Datum in Crac(ouia).

a) hic in ms. « pro theoloneo, quod accipitur, quando sal ducitur » deleta.

b) lectio incerta.

N. 279

s.l., s.d.

*Wladislaus (II) rex Poloniae
universis,*

ut nuntius comitis de Czil libere in Lithuaniam transire permittatur

F. 77 r. Littera conductiua per terram et cunctis pro expensis dandis eidem.

